DISSERTATIO JURIDICA
De
PECUNIA TU-
TISSIME COL-
LOCANDA.

127
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quam
Sacræ Triadis auxiliô & annuente
Nobiliſſimo JCtorum Lipſienſium
Ordine,
PRÆSIDE
Magnifico, Nobiliſſimo & Conſultiſſimo
DN. JOH. ERNESTO NORICO,
J. U. Doctore, Conſiliario Martisburgenſi
ſpectatisſimo, & p. t. Academiæ Rectore,
Patrono, Fautore ac Præceptore ſuo ætatèm colendo,
publico examini in Acroaterio
JCtorum ſubjicit
JOHANN GEORG Döhler/
Altenburgô-Miſnicus,
AUTOR.
Ad diem XV. Septembr. ANNO M DC LXV.

LIPSIÆ
Literis COLERIANIS.

5
18
Digitized by Google

Sereniſſimi ac Celſiſſimi Principis ac Domini

DN. FRIDERICI WILHELMI,

Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium Ducis, Landgravii Thuringiæ, Marchionis Miſniæ, Principis Comitatûs Hennebergici, Comitis in Marca & Ravensberga, Domini in Ravenſteinio &c.

Secretioris & Aulici Conſilii

ILLUSTRI CANCELLARIO,

CUNCTISQ;

CONSILIARIIS EMINENTISSIMIS,

Generoſis, Magnificis, Nobiliſſimis, Ampliſſimis, Excellentisſimis & Conſultisſimis, Dnn. Patronis ac Promotoribus ſuis perpete obſervantiæ cultu ſubmiſſè venerandis.

Hanc Diſſertationem Academico-Juridicam in obſervantiæ devotæ monumentum & favoris incrementum

D. D. D.

JOHANN GEORG Döhler.
AUTOR.

Digitized by Google

Prooemium.

PRorſus venuſtè & velut ex communi conſenſu Poëta Venuſinus PECUNIAM, *qvæ uxorem cum dote, fidemq́ʒ, & amicos, & genus, & formam donare ſoleat*, REGINAM adpellavit. Tàm enim omnibus ferè gentibus in ore fuiſſe videtur hæc ſententia, qvàm nunc etiam omnibus eſt in uſu: Pecuniæ obediunt & ſerviunt omnia, adeò ut pleriq; omnes hac perditâ certiſſimum neceſſitatis fidejuſſorem, imò ipſam vitam perditam eſſe exiſtiment cum *Aret. in l. 14. C. de Advoc. div. judiciorum & Br. in d. l. C. d. adv. div. jud. Hoc malum jamdudum humanis influxit mentibus, ut pecunia honori ſit & animi hominum divitiarum admiratione capiantur*; verba ſunt Sanctiſſimi Mediolan: Antiſtitis Ambroſ. Et ſi verò præpoſterum, pravumq; hoc ſit ſeculorum, opes & pecuniam in cenſu ſummè expetibilium, ſtudiosè adqvirendorum maximè Bonorum habentium, judicium; tolerabile tamen videri poſſet præ illa inſaniâ, qva Virtuti qvoq; præferendam pecuniam eſſe creditum aliqvando, & una omniū vox fuit:

O Cives, Cives, qværenda pecunia primum.
Virtus poſt nummos; hæc Janus ſummus ab imo
Prodocet, hæc recinunt juvenes dictata ſenesq́;.

qvam meritò ſaniores qviqve Philoſophi jam-olim exploſerunt; legitimos verò adqvirendi pecuniam modos & uſum ejus ſalutarem præſcripſerunt; qvæ præcepta huc congerere nihil attinet, qvippe à noſtro inſtituto aliena. Nobis enim, qvia ſecundum Naſonem:

Non minor eſt virtus, qvàm qværere parta tueri,
Caſus ineſt illic, hîc erit artis opus,

 & de

& de ſententia unius è Græcorum Sapientibus, *pecunia comparatur difficulter, multò autem difficilius cuſtoditur & conſervatur*; cui planè conſentit Majorum noſtrorum verbum memorabile hoc, Geld will einen klugen Vormund haben. Allubuit pro viribus & ingenii modulo, rudi penicillô & ὡς ἐν τύπῳ Pecuniæ adqviſitæ collocationem, ſeu tutelam delineatam hac vice placidis Eruditorum cenſuris proponere, præſertim v. cum notum habeamus *ex Br. in l. uxorem 41. ff. d. legat. 3. & ipſa l 3. §. 4. ff. d. contr. tut. act.* qvòd aliqvis non ita benè procuret pecuniā, ſi in arca concluſam eamq; ſterilem ſervet; qvippe res eſt, quæ ſervando ſervari non poteſt *l. 30. ff. de hæred. pet. §. 2. Inſt. d. uſufr. Br. in l. 5. §. f. ff. de jur. delib. Tiraq. d. Retr. tom. 3. §. 1. gl. 7. n. 104. & ſeqq.* Appoſitè *Cic. 2. de off.* diſſertiſſimus Romuli nepotū *Pecuniæ*, inqvit, *qværendæ non ſolùm ratio eſt, ſed etiam collocandæ, qvæ perpetuos ſumtus ſuppeditet, nec ſolùm neceſſarios, ſed etiam liberales.* Anteqvam autem rem ipſam adgredimur, ut benè ea vertat, divini Numinis auxilium ſuppliciter & devotè invocamus.

CAPUT PRIMUM.

Qvod evolvit,

PECUNIÆ DEFINITIONEM, TUM NOMINALEM, TUM REALEM.

§. 1.

PEcuniæ vocabulum natales ſuos debere pecudibus, & qvaſi peculium patrisfm. expecude æſtimatum dictum eſſe, omnes certò affirmant; Et hoc ut firmiori ſtet talô, teſtes omni exceptione majores hac in parte produco Alciat: *ad l. 5. ff. de V. S.* & Columell. *in præfat. lib. 6.* Qvi veterum totum patrimonium in pecudibus repoſitum fuiſſe, omniaq; neceſſaria, fundos, domos, eſculenta, poculenta pecudibus ſibi comparaſſe ſatis apertò atteſtantur. Nec rem evertit Plin. qvi *lib. 13 nat. hiſt.* à pecudis nota nomen accepiſſe aſſerit, eò qvòd à Servio Rege æs primùm pecudis notâ ſignatum legitur. Et licet hodiè non amplius pecudum; ſed Regum & Principum imaginibus ſignetur, tamen pecuniæ nomen manet; Res enim accipiens ſemel nomen

etſi

Digitized by Google

etſi cauſa ceſſet, id tamen retinet, pro ut videmus homines militiā non exercentes, adhuc vocari paganos, etiamſi pagum & villam non inhabitent. *Caſp. Klock. in Tr. d. Ærar. l. 1. c 2. n. 17.*

§. 2. Poſt Pecuniæ ἔτυμον, ordine exigente, ipſam & ὁμωνύμως explano & declaro. Sumitur autem vocabulum pecuniæ in Jure noſtro tripliciter. Primò generalisſimè, qvô ſignificatu ea omnia comprehenduntur, qvæ ſunt in patrimonio *l. 5. pr. ff. d. V. S.* Res ſive ſint corporales, ſive incorporales *l. 178. pr. ff. d. V. S.* mobiles ſive immobiles *l. 222. ff. d. V. S.* Secundò accipitur paululum anguſtius, ubi eas duntaxat res denotat, qvas JCtus Paulus in *l. 2. §. 1. ff. de Reb. Cred.* in ſuo genere ait, recipere functionem i. e. qvæ pondere, numerô, & menſurâ, conſtant, qvô reſpectu Ulpianus eam à corporibus diſtingvit in *l. 30. ff. d. leg. 1.* Tertiò capitur ſtrictisſimè, pro ſolis nummis, ſeu numerato & ſignato ære, auro & argento, uti eſt in *pr. Inſt. qvib. mod. re contrah. obl. l. 7. §. 3. ff. ad SCt. Maced. l. 4. §. 1. ff. d. reb. cred. l. 95. ff. d. leg. 3. l. 30. ff. d. leg. 1.* Sed ita rurſus duplici modo in jure conſideratur; nam vel ad certum uſum eſt deſtinata vel repoſita, puta ut mutuò daretur: vel præſidii cauſa ſepoſita eſt & vocatur peculium, unde pecunia ſine peculio fragilis dicitur in *l. 79. ff. de leg. 3.* Notandum vero omninò eſt, qvòd ſemper in hac ſtrictisſima ſignificatione pecunia intelligatur numerata, non qvidem ut actum numerandi, appenſionis & traditionis, ſed potentiam & qvalitatem demonſtret. Et licet in R*ubr. Cod. de non num. pecun.* non ſolùm æs ſignatum, verùm qvamlibet etiam aliam pecuniam tàm mobilem, qvàm immobilem (qvæ ipſo actu dari, tradi, adnumerari debuit,) deſignet: verius tamen eſt, qvoties ad res ſolas refertur fungibiles, nunqvam aliam, qvàm ſolam publicè ſignatam pecuniam ſignificare. *Dd. ad L. 1. ff. d. Conſt. pecun. l. 2. C. eod. & Rub. C. de non num. pecun.* Gœdd. *ad l. 4. n. 35-36. ff. d. V. S.*

§. 3. Reſtat Synonymia, qvæ in Jure noſtrô exiſtit rarisſima, in § *33. verb: huic autem. Inſt. de Action.* appellatur aureus nummus. 2. *in l. 1. pr. ff. d. contr. empt. & vend.* à JCto Paulo generali tanqvam nomine ſalutatur numus 3. & ſignificat rem *T. T. Inſt. d. reb. corp. & incorp. l. 11. §. f. ff. d. Juriſdict.*

§. 4. Abſolutâ nunc Definitione nominali, progredior ad ipſam realem. Et qvia Diſſertatio hæc mea non erit de elocandâ pecuniâ generaliter, ſed ſtrictisſimè ſumtâ, itaq; & illam definio: Qvod ſit æs, publicâ formâ ſignatum, cujus qvantitas publicè conſtituta & certa eſt, quô vel in commutandis vel vendendis emendisq; rebus & mercimoniis comparandis gentes inter ſe uti ſolent.

§. 5. Conſtat hæc definitio ſuô genere & differentiâ ſpecificâ: Genus eſt Æs ſignatum publicâ formâ. Rude n. æs & maſſa propriè non dicitur pecunia *Covarruv. d. collat. veter. monet. cap. 7. n. 3*, & longè aliud eſt maſſa argenti & aliud pecunia argentea per *l. 10. §. 5. ff. qvemadm. uſusf. amittit.* unde & debitor in pecuniâ argenteâ non poteſt ſolvere maſſam tantundem argenti *Dd. in l. 2. §. 1. ff. ſi cert. pet.* & aurô legatô, pecunia non venit aurea *l. 19. pr. ff. d. aur. & arg. legat.* Qvod v. æris vocabulum attinet, illud omninò omnem pecuniam tam auream qvàm argenteam in jure nuſtro comprehendit, uti videre eſt, *ex l. 159. ff. de V. S.* & ex antiqvâ illâ formulâ, qvâ prodigis bonis interdicebatur h. m. ære, commercioq; interdico. ut refert *Iul. Paul. l. 3. ſent. tit. 4.* nec non ex emancipatione, quæ per æs & libram fieri dicebatur, qvô tn. actu, non ærea ſolùm, ſed & aurea & argentea pecunia interveniret. *Cujac. l. 7. obſ. cap. 33.*

§. 6. Et qvia conſtat, Jus Civile triplicem ſaltem agnoſcere pecuniæ materiam, videlicet aurum, argentum & æs, uti arguit *l. 2. §. 30. ff. de orig. Iur. & L. Cornelia Nummaria, de qva Tot. Tit. C. de falſ. monet. l. 8. ff. ad L. Corn. de falſ. item l. 9. §. 2. ff. eod.* qvæ expresſè uſum ſtanneorum & plumbeorum prohibet. Meritò hic quæſtionis erit, qvidnam dicendum de pecuniâ ferrea? qvâ uſi ſunt variæ gentes, Lacedæmonij, Siculi, Terentini, Romani, Græci. *Salmaſ. c. 11. de uſur.* Quid, inquam, de pecunia coriacea? quam validam agnoverunt Carthaginenſes, Athenienſes & alii, qvos & ſcimus habuiſſe numos ex luto cocto & ſignato, lapillis, plumbo, corallis & papyro. *De qvibus laudatus Salmaſ. d. l.* Reſpondeo, qvod de Jur. Civ. ex ſupra dictis neutiqvam, in ſuo tn. territorio utiq; valeant; Et ſint rationes decidendi hæ, quòd pecunia primariò pretium & æſtimationem non ex materiæ bonitate, ſed è voluntate

Digitized by Google

luntate Principis aut Reipublicæ eã impoſitã & conſtitutã habet; & qvilibet etiã princeps per Jus ſingulare poteſt derogare cõmuni *Speidel. in Specul. Iurid. Polit. Hiſt. voc.* Müntz *addit. 5. p. m. 875.* Qvod etiam num videmus practicari in Regno Svecico, ubi nullus incolarum cupream pecuniam ceu ſpuriam rejiciet.

§. 7. Differentia nunc ſeqvitur ſpecifica, quæ petita eſt, partim à forma, partim à fine. Forma in eo conſiſtit, qvod (1) ſignatio debeat fieri publicè ſ. publicâ Autoritate, & (2.) qvantitas etiam ita conſtitui. Et certè rectiſſimè. Primum enim qvod attinet, ſcimus Jus cudendæ pecuniæ ad ſolum principem h. e. Imperatorem de jure ſpectare *l. 2. C. de falſ. monet. l. 1. C. de veter. numism. poteſt.* Qvapropter & etiam inter Regalia refertur *l. 2. Feud. 56.* nec Principes etiam monetas cudere poſſunt, niſi præſcriptione vel ſpeciali autoritate Imperatoris privilegium hoc ſibi acqviſiverint. *Speid. d. l. vocet.* Müntz *pag. 871.* Et licet olim qvoq; hoc jus ad alios transferri potuerit, uti tempore belli Mithridatici Dictatorem L. Syllam jus numi in Peloponneſo ſignandi Lucullo concesſiſſe teſtatur *Plutarch. in Lucull.* item Simoni Sacerdoti Judæorum monetam propriam cudere permiſit Antiochus filius Demetrii *1. Maccab. 15.* Nullus tamen privatorum hodiè hoc jus ſibi poteſt tribuere, in tantum ut nec per locationem vel aliam concesſionem posſit accipere. Müntz-Ordnung zu Augſpurg *de anno 1559.* §. ferner als ſich. R. A. zu Speyer *de Anno 1570. §.* als denn auch die Müntz-Gerechtigkeit. *Dn. Carpz. lib. 5. Reſp. 18. Tit. 9. n. 10. & ſeqq.* Secundò qvantitatem ipſam publicè conſtitui debere maximè intereſt. Æſtimatio enim pecuniæ, ut ſupra dictum, conſideratur ſecundùm bonitatem extrinſecam & publicè impoſitum valorem *Oldrat. conſ. 168. qv. 3.* qvia ubi qvis vult aliqvam rem æſtimare per pecuniam, non dirigit conſiderationem ad intrinſecum valorem, ſed ad illum, qvi eſt impoſitus. *Surd. Conſ. 285. n. 5.* & valor etiã pecuniæ ille verus eſt, qvi de publico ſtatuitur & imponitur, *Br. in l. qvi falſam 19. ff. ad L. Corn. de falſ.* qvô ſane fit, ut pœnâ falſi puniatur is, qvi numum recuſat ſecundùm publicum valorem accipere.

§. 8. Finem deniq; pecuniæ qvod ſpectat, eſt in illis verbis: qvòd in commutandis emendis, vendendisq; rebus eâ uti

ſoleant

ſoleant Gentes; qvod ipſum abunde ſatis & demonſtravit & adprobavit JCtus Paulus *in l. 1. pr. ff. d. contr. emp. & vend.*: *Sed*, inqviens, *qvia non ſemper, nec facilè concurrebat, ut cum tu haberes, qvod ego deſiderarem, invicem haberem, qvod tu accipere velles, electa materia eſt, cujus publica ac perpetua æſtimatio difficultatibus permutationum, æqvalitate qvantitatis ſubveniret &c.* Et ſanè nihil in mundo propter varietatem mercium & rerum neceſſariarum indifferens, idq; incertum pretium, ſtabile atq; immutabile haberi & inveniri potuiſſet, præterqvam id, qvod pecuniam dicimus. Qvod enim medium ipſum in Syllogiſmo, ſine qvo ille mancus & inutilis, operatur, illud ipſum efficit hoc medium concludendi in commerciis & contractibus, ſine qvo illi conſiſtere & ſalvi permanere haud poſſunt. *Budel de Monet. & Re Numar. lib. 1. c. 24. n. 28. & 29.*

§. 9. Poſtqvam pro inſtituti ratione generaliter de Pecunia diſſeruimus; jam ad ipſum ſpecialiter præfixum nobis ſcopum properandum eſt. Ut vero pecunia tutisſimè collocetur, viam certiorem & planiorem inveniri poſſe non puto, qvàm ſi qvisq; collocaturus ponderet ſeriò, ſeduloq; inſpiciat I. SUBJECTUM, cui nimirum, collocandam ſuam pecuniam velit credere. II. OBJECTUM, in qvam rem velit collocare & III. OBLIGANDI MODUM, qvô ſibi debeat proſpicere ad hoc, ne damnum ſentiat, vel eâ ipsâ defraudetur penitus.

CAPUT SECUNDUM.

Qvod exhibet ea, Qvæ circa Subjectum in collocanda Pecunia veniunt notanda.

§. 1.

CUm qvilibet, ſvadente JC. Ulpiano *in l. 12. ff. d. R. J.* non ignarus eſſe debeat, conditionis ejus, cum qvo contrahit, meritò & hoc ipſum in collocandâ pecuniâ obſervandum ducimus: Et prima ſtatim vice diſſvadendum arbitror, ne facilè qvis in elocanda pecunia ſibi eligat Superiores & Potentiores. Notanter dixi: non facilè, abſit enim ut in totum hoc diſſvadeam, cùm hic

Digitized by Google

hic maximè & abundè ſatis habemus, ubi pecuniam noſtram recipere poſſimus, ſemper enim illi præſumuntur eſſe ſolvendo *l. 2. §. ult. in fin. ff. d. fund. dot. l. 9. ff. ad L. Rhod. de jact.* Qvòd autem aliqvô modô diſſvadere auſus fuerim, hanc rationem ſubeſſe ſcias, qvòd conventio & exactio debiti his in perſonis ſit difficillima; Potentioribus enim pares eſſe non poſſumus *l. 3. pr. ff. d. alien. jud. mutand. cauſ. fact. l. 4. ff. d. recept. arbitr. VVeſenb. p. 4. conſ. 176. n. 53. in fin.* Periculoſũ enim Tibi eſt, qvod habeant privilegium, qvô non niſi coram Auſtregis conveniri qveant, qvod ſine gravi difficultate & magnis ſumptibus fieri non poteſt, teſtibus *Herman. Vultej. in l. 1. C. ubi Senat. Clariſſ. 1. n. 43. & ſeq. Joh. Zang. de except. l. 1. part. 2. cap. 1.* Cum ergo res hæc ſit difficiſſimæ expeditionis, & debitor non tàm ex facultatibus, qvàm ex conveniendi facilitate dicitur idoneus *l. 117. §. ult. in fin. ff. de V. Obl. l. 2. pr. ff. qvi ſatisd. coguntur. Iaſon. in l. 116. ff. d. V. O. n. 32.* Et is difficulter conveniri poſſe dicitur, qui ratione fori eſt privilegiatus, inſuper & paria ſunt, quem omninò non, vel difficulter poſſe conveneri *Iaſon. in d. l. 116. n. 32. ſub fin. ff. de V. O.* Itaq; ſine cujusqvam injuriâ, puto, monuerim, ne qvis temerè & ſine deliberatione elocandam pecuniam credat ſuperioribus. Qvid qvod hujus disſvaſionis ego nec primus nec ſolus autor ſum, ſed habeo Dominos Scabinos Lipſienſes, Senatum ſupremi Dreſdenſis Appellationis Judicii, nec non Senatum Aulicum Sereniſſimi Electoris Saxoniæ in hanc rem maximè conſentientes, qvippe qvi his etiam rationibus moti probarunt, & confirmarunt, qvòd nemo creditorum cogi debeat per cesſionem in ſolutũ accipere obligationem aliqvam Cameralem. videatur *Mag. Dominus Carpz. lib. 5. R. 107. tit. 9.* Imò tantùm abfuit ipſi etiam Sereniſſimo Electori Saxoniæ hoc diſplicuiſſe, ut potiùs per expreſſam novam Deciſionem 64. approbaverit. Cujus verba digna, quæ hîc adponantur, & ita ſe habent: Alldieweil aber der gleichen Anweiſung in Potentiorẽ in Rechten verboten / über dieſes nicht zu läugnen / daß einen Privato die exaction bey dergleichen Verſchreibung ſchwer gemacht wird ec. *vide ſis & Berlich p. 2. dec. 296. n. 39.*

§. 2. Civitatem nunc tanget ordo, circa qvam, cum in collocanda pecunia multa nobis ſe oſtendunt notanda, illam &

 intactam

intactam non relinqvo. De hâc ergò textus habemus notiſſimos pariter ac manifeſtiſſimos, nimirum *l. civitatis 27. ff. d. Reb. cred. & l. un. C. de ſolut. & liber. deb. civit.* qui docent difficulter ſatis eſſe, pecuniam ſuam credere Civitati, tenemur enim probare, pecuniam illam verſam eſſe in utilitatem ipſius civitatis, alias illam nobis non facimus obligatam. Et ſanè teſtante Math. Colero de Proceſſ. Execut. part. 2 c. 3. n. 348. maximè dubii vivunt ipſi Dd. in explicatione harum LL an nimirum indiſtinctè qvisq; teneatur probare verſionem in utilitatem civitatis, an verò non. Nos cum JCtis illis celeberrimis *Domino Carpz. Domino Richtero, Dom. Struvio* & aliis ita diſtingvendum eſſe putamus: an nimirum in hâc collocandâ pecuniâ egerit vel contraxerit qvis *cum ipſâ Civitate*, h. e. præſentibus omnibus Conſulibus & Senatoribus, nec non convocatis ac conſentientibus omnibus civibus, vel ſaltē omnibus Conſiliariis & Tribunis plebis vulgò Gülden Meiſtern/ Viertheils oder Zunfftmeiſtern; an verò cum *ejus Adminiſtratoribus* h. e. illis, qui non repræſentant univerſitatem, ſed quibus ſolùm Reipubl. gubernandæ cura commiſſa eſt. Priori caſu, civitatem qvòd quis ſibi reddat obligatam, nec probare teneatur verſionem in utilitatem, conſtanter affirmamus, certi laudatâ illâ Autoritate & ratione etiā juris hac, quòd nimirū omnia, qvæ procuratores Civitatis ac Tribuni Plebis, quibus gubernatio & omnis adminiſtratio rerum publicarū commiſſa eſt, faciunt, habeantur ac ſi ſinguli cives feciſſent *l. 3. ff. qvod cujusc. univ. nom. Bolog. in l. 27. ff. d. R. Cred. n. 15.* Pactū ſiquidē eorū, qui præſunt corporib9 & collegiis, proſunt & nocent ipſi collegio *l. 14. ff. de pact.* cū cives intelligantur ſciviſſe & ſcire, itē feciſſe & facere, qvod ſciunt & faciunt ii, quib9 perpetua corporis gubernatio concredita eſt *l. 14. ff. ad munc. l. 15. §. 1. ff. d. dol. mal. l. 2. ff. de jur. immi.* Qvā ipſā etiā ſententiā in Praxi receptam eſſe latè monſtrat *Dominus Richt. deciſ. 71. n. 3.* Aſt hîc non celandum eſt, qvòd, licet hoc modo civitas firmiter & efficaciter unicuiq; obligetur, ita ut verſionem in rem probare non debeat, ea tamen reſtitutionē in integrum, exemplo minorū implorare poſſit, ſecund. *l. penult. C. quibus ex cauſ. major. in integ. reſt. & l. penult. C. de jur. Republ. vid. & Hunni l. 3. var. reſol. tr. 3. p. 1 qv. 19. pag. 888. & ſeqq.*

§. 5.

Digitized by Google

§. 3. Ad poſteriorem caſum quod attinet, ſanè non adeò tutus eris in collocandâ tua pecunia; ſemper enim teneris probare pecuniam verſam eſſe in utilitatem ipſius civitatis per *d. l. 27. ff. de reb. cred. & l. un. C. de ſolut. & liber. debit. civit. l. 16. C. de præd. minor.* in tantum ut, licet in inſtrumento dicatur pecuniam in rem Civitatis verſam eſſe, non libereris à probatione *Br. in d. l. 27. n. 13. Ioh. Koppen. q. 60. n. 7. Maſcard. de prob. concl. 1161. n. 10. Coler. dict. c. 3. n 352. Hart. Piſtor. lib. 3. qu. 37. n. 31.* Cujus rei ratio videtur eſſe, ne adminiſtratores occaſionem juris ad iniquum trahant compendium *arg. l. ult. ff. pro empt. l. pen. ff. de reb. eorum, qui ſub tut.* Facile enim futurum eſſet, ut Adminiſtratores prodigi pecuniam acciperent mutuam, abutendo ſigillô communi *Henning. Goden d. jur. civ. conſ. 5. n. 23.* Qvod ipſum etiã in decidendo obſervari, tradit *Dn. Carpz. p. 2. c. 6. d. 18. Dn. Rich. deciſ. 71. & etiam ipſa nova Deciſ. Elect. 16. verb.* Wir erinnern uns, daß eine Stadt oder Gemeine 2c. Qvod idem jus attendendũ eſt, ſi cuicunq; univerſitati pecuniam collocandam credere velis, ut Villis *H. Piſt. d. l. q. 37. n. 26.* nec non Collegiis opificum. *Gratian. diſcur. forenſ. 196. n. 2.* Item etiam Eccleſiis, ubi neceſſe eſt conſentiat cum cauſæ cognitione Prælatus & totum Capitulum nomine Eccleſiæ *Nov. 120. c. 6. avth. hoc jus porrectum in filii. C. d. SS. Eccleſ. Frid. Mantic. de tac. & amb. convent. l. 8. t. 13. n 9.* Aliàs ſi cum Oeconomo vel ſolo Epiſcopo in collocanda pecunia contrahis, verſionem in utilitatem Eccleſiæ probare teneris *Covarr. 2. var. reſol. 17. n. 3. Mant. d. l. 8. t. 12. Dominus Struv. Syntag. Jur. Civ. Exerc. 17. th. 20.*

§. 4. Nunc ad filiumfam. & filiamf. Qvi licet in omnibus cauſis tibi obligentur *l. 39. ff. de obl. & Act. & l. 57. ff. d. jud.* & poſſis cum iis contrahere h. e. poſſis celebrare contractum empt. vend. locat. & conductionis *l. 3. §. 2. ff. ad SCt. Maced.* Habeas tamen qvod albô lapillô notes, ne eis titulô mutui pecuniam tuã collocandam credas, qvippe qvi ſpeciale hoc habent beneficium SCt. Macedonianum, qvô niſi expreſsè conſenſerit pater *l. 7. §. 11. ad SCt. Maced.* vel in rem ejus verſa fuerit *l. 7. §. 2. 12. & 14. l. 17. ff. eod.* pecuniam tuam ita mutuò datam planè non potes repetere, intantum ut etiam poſt mortem parentis ejus, in cujus pote-

Digitized by Google

ſtate fuerunt, non conveniantur *l. 1. pr. §. 1. & 2. ff. d. t.* imò, etiamſi ſolverit filius, attamen pater, ſi pecunia adhuc extet, vindicare; ſi autem conſumta, condicere poteſt *l. 9. §. 1. ff. eod.* Fidejuſſores etiam licet accipias, illi tamen ipſi non obligantur *l. 9. §. 3. eod.* Necqvicqvam Te juvabit, ſi filius renunciaverit huic SCto Maced. irritum enim eſt *arg. l. 1. §. 38. ff. de pact. vid. Gomez. 2. reſol. c. 6. lit. c. Zanger. de Except. p. 3. c. 10. n. 24.* utut ejuſmodi renunciationem etiam juratô præſtiterit, non tamen ſecurus eris, ſive ad Jus Civile, ſive ad Jus Canonicum refugium ſumas *arg. l. 14. §. 7. ff. de pact. c. 84. de R. J. in 6to. Dn. Carpz. Diſp. de Mutuo poſit. 3. Perez. ad Tit. de SCt. Maced. n. 19. Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. Exerc. 17. th. 23.* Contrarium tamen in Foro Saxonico obſervari tradit jam laudatus *Dn. Carpz. p. 3. Deciſ. 256. n. 13. & ſeqq.* qvô brevitatis ergò B. L. remitto.

§. 5. Siſtit nobis ſe etiam minor, cui qvòd pecuniam tuam tutò ſatis poſſis collocare, minimè exiſtimo; in omnibus enim negotiis, etiamſi acceſſerit curatoris conſenſus, ſi ob lubricum ætatis lapſum aut captum eſſe, probare poteſt, regulariter beneficio reſtitutionis in integrum gaudet *l. 1. §. 1. l. 7. pr. l. 11. §. 2. l. 38. ff. de minor. 25. ann.* Illud eqvidem beneficium ei non niſi cum plenâ cauſæ cognitione ſecund. *l. 24. §. 1. ff. d. t.* conceditur, ita ut petens reſtitutionem ad probandam læſionem teneatur *l. 5. C. de in integr. reſtit. minor. l. 9. §. 4. ff. de jurejur. junct. l. 2. ff. de probat. l. 23. C. eod.* Singulare tamen & ſpeciale nonnulli Jurium Interpp. ut ſunt *Cyn. Bart. Bald. Albert. Paul. de Caſt. & Angel. Alex. in l. civitatis 27. col. 4. in fin. ff. de R. Cred. Ripa in l. ſi is qvi bona. 11. n. 12. ff. d. pign. Decius in l. ſingularia 15. n. 21. ff. de R. C. Jaſ. in l. non poſtea 9. §. 4. ff. de jurejur. Afflict. l. 2. Conſt. & alii,* diſpoſitum eſſe tradunt, in pecunia minori mutuò data. ubi contra generalem reſtitutionis regulam, minor ſine ulla læſionis probatione reſtituatur. Et diſputatio hæc Dd. qvia ad inſtitutum noſtrum primariò ſpectat, neceſſe erit, eam breviter hîc exponere, ſimulq; demonſtratione, qvid de illa ſit ſentiendum, hodieq; ſtatuendum. Moventur autem jam laudati Dd. ad hanc ſpecialitatem in pecunia minori mutuò data per *l. 1. & 2. C. ſi adverſ. creditor.* ubi minor indiſtinctè, h. e. ſine probatione, pro læſo habeatur & creditor

Digitized by Google

-ditor è contrario, ſi pecuniam velit repetere, verſionem in rem minoris probare teneatur, hocq; ipſum factum & conſtitutum eſſe putant in odium fœneratorum; Non qvidem ſimpliciter hoc aſſerunt, ſed diſtingvunt inter creditorem gratis mutuantem & eum, qvi ſub uſuris pecuniam ſuam mutuò dedit: In priori qvidem obtinere illud arbitrantur, qvòd de reſtitutionibus generaliter traditum eſt, ut videlicet, minor volens reſtitui, ante omnia teneatur læſionem vel aliam reſtitutionis cauſam probare, ſecund. *l. 9. §. 4. ff. de jurejur. & l. 5. C. de in integr. reſtit.* In poſteriori verò locum habere exiſtimant *d. l. 1. & 2. C. ſi adverſ. cred.* Verùm, ſi dicam qvod res eſt, rectisſimè tota hæc diſputatio Dd. rejicitur à Molinæo *in Tr. de uſur. q. 37. n. 280.* Diſtinctionem enim qvod attinet, inter creditorem fœneratorem & ſimplicem, *d. T. Tit. C. ſi adverſ. cred.* reclamat; Creditoris enim vox generalis eſt & pertinet ad omnes creditores, qvibus ex qvalibet cauſa debetur *l. 11. ff. de Verb. Sig. Pinel. ad l. 2. p. 3. n. 30. usq; 35. C. de Reſcind. vend. Perez. ad Tit. C. ſi adverſ. cred. vid.* etiam *l. 32. ff. de adminiſt. tutor.* Qvòd autem indiſtinctè & ita etiam in pecunia mutuò accepta, minor læſionem probare teneatur, docent LL. qvæ ei reſtit. in integrum concedunt, loqvuntur enim conditionaliter, ſi captus ſit, ſi diſſipaverit ſc. per lubricum ætatis, neceſſe itaq; maximè erit, ut prius ex variis circumſtantiis probetur læſio. Et minimè ergò obſtant *l. 1. & 2. C. ſi adverſ. cred.* qvippe qvæ ne verbulo negant, præbationem læſionis, ſed eam jam antea factam absq; dubio præſupponunt, ſecund. alias LL. ita diſtingventes. *l. non eſt novum. 26. d. LL Br. in l. non eſt dubium. 9. C. eod.* Et hanc Molinæi ſententiam hodienum in Praxi obſervari teſtatur *Dn. Carpz. p. 2. c. 11. d. 44. n. 9. & ſeqq.* Propter hanc verò jam ſecutam deciſionem prima mea ſententia nullô modô mutata eſto, ſed repetitam eam volo potius. Creditor enim pecuniam ſuam repetens, ſemper per *d. l. 1. & 2. C. d. t.* eam verſam eſſe in utilitatem minoris probare tenetur. Qvod ſi præſtare neqveat (qvod ſanè eſt difficillimum) minor autem petat reſtitutionem, læſione probatâ, totam ſuam perdit pecuniam. *Anton. Faber. in Ration. ad l. 24. §. 4. ff. de minor. & in Cod. lib. 2. tit. 21. def. 1. n. 2. 3. H. Piſtor. p. 1. qv. 38. & Dn. Carpz. d. l. n. 10.*

Digitized by Google

nem habes nullam. Landr. *lib. 1. art. 6. ibiq; Gloſſ. Dn. Carpz. prax. crim. p. 3. qv. 134. n. 26. & lib. 6. Reſp. 96. n. 8. 9. & 18.* Berlich. *deciſ. 66. n. 1.* in tantum ut licet colluſor pecuniam non perdiderit, tamen repetere non poſſis. *Pariſ. de Puteo. Tr. de Ludo n. 16. ſub fin. & n. 17. Farin. in ſua Pract. crim. part. 3. qv. 109. n. 223. junct. n. 224. verſ. ſi verò eundem & ſeq.* Poſteriori caſu Dd. communiter diſtingvunt per *tex. in l. verum. 11. §. idem qværitur 6. ff. d. minor. & l. 12. §. 11. ff. mand.* an qvis ignoraverit, illum, cui pecuniã mutuò dedit luſui impenſurum, an vero ſciverit: ita ut ibi repetitioni locus ſit, non verò hîc. ad inſtar illius, qvi ſciens credit debitori illi, qvi fraudandorum creditorum conſilium capit *l. 25. ff. de Reb. aut jud. poſſ.* confer *Berlich. d. deciſ. 66. n. 5.*

§. 10. Hæc circa Subjectum adduxiſſe ſufficiant, reſtarent eqvidem plura huc facientia, imprimis qvæ olim circa Præſidem Provinciæ, Judicẽ, & Eum, qvi honorem ambiens ſumturus pecuniam mutuò à Collectario ſ. Numulario omninò perpendenda erant, verùm qvia mos Inſtituti noſtri receptus prohibet eſſe prolixiorem, hîc ſubſiſto; certisſima tamen ſpes eſt, hisce benè perſpectis & conſideratis, unumqvemq; facilè cognoſcere poſſe, qvam nam perſonam in collocanda pecunia eligere, qvidq; in qvacunq; obſervare debeat.

CAPUT TERTIUM.

Qvod tradit ea,

Qvæ circa Objectum in collocandâ pecuniâ ſvadentur obſervanda.

§. 1.

DE Objecto, hoc eſt ipſâ Re, in qvam qvis pecuniam ſuam tutisſimè collocare posſit, variè diſputant Dd. *VVeſenb. in Paratit. ff. Tit. de Adminiſt. & peric. tutor. n. 4.* putat tutius eſſe pecuniam collocare in emptionem prædiorum. Alii arbitrantur in tutelam ſaltem & conſervationem prædiorum per *l. ult. ff. de operib. pub. l. 2. ff. de Neg. Geſt.* Alii in redemptionem nominum Wenn man Schuldbrieffe 100. per 76. 60. 50. erhandelt per ea, qvæ habet *Gomez. Tom. 2. reſol. cap. 2. n. 6.* Alii in Debitorum

diſpun-

Digitized by Google

diſpunctionem per *l. 13. ff. de N. G.* prout qvatuor has ſpecies enumeravit *Dn. Tabor in Coroll. 4. ad ſuas Partition. Element.* Nos addimus hanc, & pecuniam qvoq; in emptionem Annuorum Redituum benè collocari poſſe affirmamus. Has itaq; omnes enumeratas ſpecies, qvia non rejiciendas, ſed pro diverſitate uniuscujusq; ſtatûs ac conditionis potius amplectendas putamus, pertractaturi ſumus, monſtrando inſimul, qvid in qvalibet obſervari debeat.

§. 2. Et primam ſi inſpiciamus ſpeciem, ubi qvis autore Weſenbeciô, pecuniam ſuam tutò collocare poſſit in emptiones prædiorum, ſanè non adeò inconſultum monitum hoc deprehēdimus, tutius enim omninò eſt adverſus omnem fortunæ injuriam & amiſſionem, patrimonium & facultates cujusq; in ſolô conſiſtere **denn Fahrnüs kan leichtlich verlohren werden / und iſt auch ſonſt nicht ſo würdig.** *Id. lib. 6. conſil. 278. n. 40.* Et dum in Solô conſiſtere diximus cum Weſenbecio laudato, qvilibet videre poteſt, nos minimè intelligere prædia ſpecialiter conſiderata, qvatenus nuda ædificia, ut ſunt prædia urbana &c. deſignent, qvæ omninò incendiô vel aliô caſu fortuitô amitti poſſunt; ſed generaliter, ubi qvamlibet rerum immobilium univerſitatem denotant & ſub ſe comprehendunt eorum agros, prata, poſſeſſionem & fundum, pro ut docet *arg. l. 60. l. 115. l. 211. ff. de V. S. VVeſenb. ad Rub. Inſt. de ſervit. prædiorum. & Jaſon. in l. ſi profundo 33. n. 3. C. de Transact.* Ecce autem ſi pecuniam collocare in emptionem prædiorum tibi animus eſt, haudqvaqvam te lateat, qvalitatem prædiorum eſſe diverſisſimam. Sunt enim vel Feudalia, Allodialia, Eccleſiaſtica, Civitatis, Minorum, Pupillorum & Dotalia. In omnibus autem, qvia multum intereſt bene attendere ea, qvæ in eorum emptione obſervatu habentur neceſſaria, itaq; ea omnia breviter huc & adducamus & exponamus neceſſe eſt.

§. 3. Si itaq; in emptionem prædii feudalis pecuniam collocandam conſtitueris, emptionem illam tutè non celebras, niſi conſentiat Dominus Feudi & omnes agnati, inprimis de Jure Sax. ſimultaneè inveſtiti, utut agnati ſint in diverſis & remotioribus gradibus, ſi modo moribus Sax. ſimultaneam inveſtituram & ſpem ſuccedendi habeant, horum enim conſenſus præciſè ad-

eſſe

eſſe debet. *Ord. Torg. de anno 1583. Tit.* Welcher geſtalt die *Agnaten* und Mitbelehnten. *verſ.* mit *Conſens* des Lehnherrn und Bewilligung aller Mitbelehnten. *Hartm. Piſtor. part. 2. qv. 7. n. 42. & ſeqq. Dn. Carpz. p. 2. c. 48. def. 7. n. 1. 2. 3.* Imò etiamſi unus agnatorũ conſenſerit, alterius tamen tacitus conſenſus non præſumitur, ſed pro ratâ omninò Feudum revocare poteſt *Berlich. deciſ. 125. Dn. Carpz. p. 2. c. 45. d. 27. & p. 2. c. 48. d. 5.* Qvid vero de conſenſu minorum agnatorum hoc in caſu receptum, vide ſis *Ord. Torgenſ. d. tit. §.* Damit nun ſolcher Unmündigen halber. *§.* Do aber auch die Unmündigen. *Dn. Carpz. d. l n. 4. 5. 6. & ſeqq.* Omne itaq; hoc, ſi non obſerves, agnati ſimultaneè inveſtiti à te hoc ipſum prædium, vivente adhuc tuo venditore, ſine refuſione pretii per expreſſam *Conſtit. Elect. Sax. 49.* revocare poſſunt *Dn. Carpz. p. 2. c. 49. d. 10. n. 2. 3. 4. & ſeqq.* Si autem conſenſum Domini ſaltem adhibuiſti & agnatorum omiſiſti, agnati vivente alienatore intra annum cum refuſione hoc repetunt *Dn. Carpz. p. 2. c. 50. d. 1. & H. Piſt. p. 2. qv. 12. n. 19. & 22.* mortuô vero alienatore intra tricennium, ſine tamen reſtitutione pretii jus revocandi habent *Dn. Carpz. p. 2. c. 50. d. 5* his enim vi primæ inveſtituræ jure propriô ſuccedentibus non poteſt præjudicium Dominus conſentiens afferre: uti nec Vaſallus alienans, qvippe à qvo non habent cauſam ſuccedendi *Harm. Piſtor. p. 2. qv. 15.* Cum tamen in bon. fid. conſtitutus fuiſti, adverſus venditorem tuum ejusq; heredes ad recuperationem pretii experiri potes *Dn. Carpz. p. 2. c. 49. d. 10. n. 6. 7. & ſeq.* In prædiis Allodialibus qvid attendere debeas, conſulas velim Dd. qvi commentati ſunt paſſim ad *Tit. Inſt. & ff. de Empt. & Vendit.* omnia enim huc adducere, inſtitutum noſtrum non permittit. Hoc tamen palmarium de illis adpono, qvod de Jur. Sax. dominium verum in illis non accipias, niſi venditor tuus judicialiter ſuo dominio & poſſesſioni renunciet tibiq; tradat h. e. Es iſt nöthig / daß dein Verkäuffer dir die Lehen Gerichtlich aufflaſſe / und dich als Käuffern damit belehne. *per text.* Weichbild *art. 20. & 60. in fin. lib. 2.* Landr. *art. 30. Coler. deciſ. 279. part. 2. & Dn. Carpz. p. 2. c. 31. d. 13 n. 4. p. 2. c. 38. d. 13. n. 6. p. 2. c. 39. 11. p. 1. c. 28. d. 21. n. 4. Nov. Deciſ. Elect. 61.*

§. 4. Collocaturo pecuniam in emptionem prædii Eccleſiaſtici

Digitized by Google

ſiaſtici, tria ſolennia ſeqventia obſervanda veniunt. 1. ut cauſa hujus venditionis & diſtractionis ſit juſta, rationabilis & ſufficiens ad hoc, ut valida habeatur alienatio *can. ſine except. 12. qv. 2. clem. 1. de reb. eccleſ. non alienand. Reinking. de regim. ſecul. & eccl. lib. 2. claſſ. 3. c. 3. n. 3. & ſeqq.* Qvænam autem cauſæ ad diſtrahendum hac in parte ſint juſtæ & ſufficientes, monſtrat *Dn. Carpz. Jurisp. Conſiſt. tit. 19. defin. 301. n. 6. 7. & ſeqq.* 2. Ut de illa cauſa, an ſit juſta & ad diſtrahendum ſufficiens, cognoſcatur. Nemo enim cauſam alienationis juſtam ac ſufficientem dicere poteſt, ſi eam non cognoverit, nec etiam dijudicandum eſt, num caſus exiſtens ſit diſtractionis neceſſariæ, anteqvàm cognitio ſuſcipiatur. *Socin. vol. 4. conſ. 52. n. 8. Jacob. Thoming. conſ. 17. n. 2.* hinc fit, ut omiſsâ hac cauſæ cognitione decretum interpoſitum ipsô jure habeatur nullum, perinde ac ſi non à Superiore & Magiſtratu, ſed à privato fuiſſet interpoſitum *l. magis puto 5. §. 14. verſ. non enim ff. de reb. eorum, qvi ſub tut. & cur. ſunt. l. 9. §. 1. ff. de Offic. ProConſ. Moller. lib. 4. ſemeſt. 1. n. 14.* 3. Ut demum conſenſus Superioris ſive Capituli totius vel hodiè decretum & conſenſus Magiſtratûs eccleſiaſtici ſive Conſiſtorii accedat. *can. ſine except. 12. qv. 2. clem. 1. de reb. eccleſ. non alienand. Alex. Rudenſ. lib. 1. c. 38. n. 9. d. analog.* Et certè hæc tria ſolennia reqviſita adeo de ipsâ formâ ſubſtantiali ſunt, ut alterutrô horum omiſsô ac neglectô diſtractio & alienatio ipsô jure exiſtat nulla, ideo etiam ad amusſim obſervari & impleri debeant *cap. 22. extr. d. reſcript. cap. 19. extr. de reſtit. ſpoliat. cap. 37. extr. de off. & poteſt. jud. deleg. l. 8. §. 17. ff. de transact. l. 33. ff. de jurejur.* Qvod & approbant verba Sereniſſ. Elect. Sax. in *Decret. Synod. de anno 1624. §.* Wie es aber. *verb.* bey Straffe der unvermeidlichen Caſſirung ꝛc. *Dn. Carpz. Jurisp. Conſiſt. tit. 19. d. 303 n. 9. 10. 11. & ſeqq.*

§. 5. Emere ſi qvis velit prædia civitatis, modum emendi præſcriptum habet *in l. 1. & Tot. Tit. C. d. præd. decur. ſine decret. non alienand. & l. ult. C. de vend. rer. civit.* qvæ volunt, ut Præſes vel judex competens de hâc empt. & vend. primò decernat, omnesq; cauſæ ſigillatim, qvibus civitas ſtrangulatur, exponantur, & ita factâ probatione civitati utilem fore venditionem apud Acta inſinuetur: Qvod ſi harum LL. ſolennitates fuerint

obſervatæ, emptor maximè eſt ſecurus, nec neceſſe habet probare pretium in Reipublicæ utilitatem & neceſſitatem fuiſſe verſum. *Alciat. in l civitas 27. ff. ſi cert. pet.* His verò ſolennitatibus omiſſis emptor & venditor verſantur in m. fid. ipſaq; empt. & vendit. eſt infirma, imò nulla, emptorq; cogitur prædia venditori reſtituere cum fructibus, nec ab eo pretium recipit, multò minùs meliorationes *d. l. 1. C. de præd. decur. ſine decret. non alienand.* Omnis enim qvi emit contra legis prohibitionem efficitur m. f. emptor. *c. qvi contra jura 82. d. reg. jur. in 6to. vid Perez. ad dd. Titulos de præd. decur. ſine decret. non alienand. & de vend. rerum civitatis.*

§. 6. Emptorem prædiorum Minorum vel Pupillorum ſi qvis ſe profiteatur, cum tutore vel curatore validè hîc agere non poteſt, ſed neceſſe eſt agat & emat ſecund. *l. 22. C. d. adminiſt. tut & curat.* ubi Imp. Conſtantinus Auguſt. tria hæc, cauſam nimirum alienationis ſufficientem, ejusq; cognitionem & decretum Magiſtratus ſedulò obſervari præcepit, quæ ut obſerventur adeò ſunt neceſſaria, ut unô horum ſaltem non obſervatô tota emptio prorſ9 ſit invalida, prout diſertè ſatis unicuiq; monſtrat. *Dn, Carpz. p. 2. c. 11. d. 28.* Minor ergò hoc in caſu prædium ſuum iterum ab emptore cum omni cauſa & fructibus perceptis *l. 16. in verb. & fructuum, vel his non extantibus condictionem competere &c. C. d. præd. minor. ſine decret. non alienand.* vindicat. Emptor autem ſi non probare poteſt, pecuniam ceſſiſſe in utilitatem minoris & inde locupletiorem eum eſſe factum, eam perdit. *l. 27. §. 1. in fin. ff. d. minor. l. 13. §. 1. ff. d. reb. eorum, qvi ſub tut. & cur.* Ubi vero poteſt, tunc eam unà cum uſuris & meliorationibus repetit *l. 14. & l. 16. C. d. prædi. minor. ſine decret. non alienan.* Onere tamen illo probandi non poteſt gravari, ſi cũ minore adhibitâ curatoris autoritate contraxerit. Nam qvi minori ſolvit cum curatoris autoritate tutus eſt *l. 7. §. 1. ff. d. minor. l. 1. C. ſi adverſ. ſolut. Ant. Fab. in Cod. lib. 2. tit. 12. def. 1. n. 45.*

§. 7. Prædium dotale demum qvod attinet, ſcimus qvidem ex *l. 1. §. 1. l. 13. §. 2. ff. d. fund. dotal l. 7. §. 3. ff. d. jur. dot. l. 23. C. eod.* maritum iſtius eſſe Dominum, verùm ſi velles ejuſmodi prædium ab eo tanqvam domino emere, non ſecurè pecuniam

collo-

Digitized by Google

collocabis; Lege enim Juliâ dotale prædium maritus invitâ muliere prohibetur alienare *pr. Inſt. qvibus alien. lic. vel non.* Qvid qvod. Imp. Juſtinianus in hoc d. pr. illam legẽ corrigens ſtatuit, non conſentiente etiam muliere ejuſmodi prædium alienare poſſe *vid. & l. un. §. & cum. lex 15. C. de rei uxor. action.* Accipimus autem hîc prædium inæſtimatum *l. 9. §. 1. ff. d fund. dot.* nam qvæ res æſtimatò in dotem, venditionis non taxationis gratia, dantur, eas omnes ſive mobiles ſint, ſive immobiles, liberè à marito alienari poſſe, vel ex eo patet, qvod ſolutô matrimoniô non res ipſa, ſed pretium, ſive earum æſtimatio in reſtitutionem veniat judicio venditi. *l. 1. pr. §. 5. l. 16. l. 17. §. 1. l. 18. ff. de jur. dot. l. 10. C. eod. vid. Struv. Synt. Jur. Civ. part. 1. diſp. 30. th. 14. & 21* ubi adhuc plures adduxit exceptiones. Patet ergo neminem de Jure Civil. prædium dotale tutò poſſe à marito emere. De Jur. tamen Sax. receptum invenimus, qvod maritus accedente mulieris ejusq; curatoris conſenſu & interveniente cauſæ cognitione & decreto Magiſtratûs prædium ejuſmodi rectè alienare, emptorisq; facere posſit *vid. Dn. Rich. de Succeſſ. ſect. 4. m. 3. n. 10. Joh. à Sand. de prob. rer. alien. part. 2. c. 10. n. 14. & L. 2. tit. 4. def. 2. Schultz. ad pr. Inſt. qvib. alien lic. vel non.* In prædiorum emptione ergo palmaria & obſervatu digniora qvisq; hîc habebit breviter, & obſervaturus ea omnia ſedulò, maximè etiã erit ſecurus.

§. 8. Pergendum nobis ad alteram ſpeciem, ubi per *l. ult. ff. de oper. publ. & l. 22. ff. d. neg. geſt.* pecuniam in tutelam vel conſervationem prædiorum collocare & impendere conſulitur. Et accuratius rem inſpicientes, certè inficias eundum non putamus pecuniã in hoc ipſum benè ac tutisſimè collocari poſſe. Benè enim collocata eſt, dũ illa refectio & conſervatio ipſi extructioni præfertur, qvod luculenter ſatis teſtatus eſt Imp. Leo, qvando in *l. 22. C. de oper. pub. ad Municipales* ita: Nemini judicũ liceat in hac inclyta urbe vel in Provinciis nova opera inchoare, priusqvam ea, qvæ incepta invenerit à deceſſore vel prædeceſſoribus ſuis, vetuſtate diruta, aut deſidiâ derelicta, diligenti ſtudiô inſtantiâq; compleverit; cùm ex hoc plurimùm laudis acqvirat, ſi ea culta & perfecta reddiderit, qvæ vetuſta ſunt, & inſtaurationẽ reqvirunt, qvæq; ab aliis initiata & imperfecta reſederant; & in

Digitized by Google

d. l. ult. ff. eod. optimè conſenſit hîc D. Pius, ubi pecuniam, qvæ teſtamentô in opera nova legata eſt, potius in tutelam eorum operum, qvæ ſunt, convertendam, qvam ad inchoandum opus erogandam ſc. ſi ſatis operum civitas habeat & non facilè ad reficienda ea pecunia inveniatur, reſcripſit. Civitatis enim decus eſt cœptum prius abſolvere, qvam novum inchoare opus, & Reipublicæ intereſt ſarta tectaq; & non ruinoſa eſſe ædificia, ne urbis adſpectus deformetur. *l. 1. & tot. tit. ff. d. tign. junct. l. 41. ff. d. leg. 1. l. 7. ff. de offic. præſid. l. 2. C. d. ædif. priv.*

§. 9. Tutè etiam imò tutiſſimè in refectionē & conſervationem prædiorum collocata eſt, dum eâ nullus facilè defraudari poteſt, ſed ſemper ſecurus exiſtit; nam licet interierit illud prædium, caſu nim. vel dolô & culpâ alterius, tamen qvod neceſſariò qvis impenderit, judiciô negotiorum geſtorum conſequi poteſt, per laudat. *l. 22. ff. d. N. G.* Et ejusmodi impenſas, qvæ in refectionem prædii collocantur, eſſe neceſſarias, probat ſatis *l. 1. §. 3. ff. d. imp. in rem dot. fact. l. 39. ff. d. hered. petit. l. 58. ff. d. leg. 1.* Qvid autem & qvotuplices ſint in Jure noſtrô impenſæ, qvâq; ratione eas, ſi ſint b. & m. f. poſſeſſores, repetere poſſunt, latius hîc explanare, hujus non erit loci. Poteſt tamen de hâc materiâ videri *Dn. Struvius Synt. Jur. Civ. exerc. 30. th. 60. 61. & ſeq. Harprecht. tom. 2. ad Tit. Inſt. de Rer. div. §. 30. n. 5. 6. 7. & ſeqq.* qvi etiā varios adhuc citavit Autores. Accedat nobis etiam qvod collocaturus ita pecuniā præter actionem illā perſonalē inſuper hypothecam tacitam & jus prælationis ex perſonali privilegio habeat, qvô in concurſu creditorum, omnibus etiam hypothecam anteriorem expreſſam habentibus præfertur *l. 1. ff. in qvibus cauſ. pig. vel hypoth. tac. contrah. l. 5. ff. qui pot. in pign. l. 25. ff. de reb. cred. Nov. 97. c. 3. & Ordin. Proceſſ. jud. Elect. Sax. tit. 43. §.* Wenn auch einer zu erbauung beſſerung und erhaltung eines Hauſes/ oder andern Guthes. Potes huc etiam trahere, ſi pecuniam in emendum prædium velles collocare, ubi etiam hypothecam & prælationis privilegium habes, neceſſe tamen eſt, expreſſè tibi de hypothecâ in illo proſpicias *l. 17. C. d. pig. l. 7. C. qui pot. in pig. l. 5. §. 7. ff. d. trib. act. Auth. qvo jure C. qui pot. in pig. Nov. d. 97. Ord. Proceſſ. jud. tit. 43. §.* als wenn einer. *Berlich. p. 1. concl. 65. n. 144. Dn. Carpz. p. 1. c. 28. d. 107.*

§ 10.

§. 10. In refectionem autem prædiorum ſi pecuniam collocaſti, & privilegio hoc prædicto gaudere velis, duo conjunctim reqviruntur, 1. Ut pecunia nominatim & ſpecialiter ad refectionem & reparationem prædii ſit mutuò data & collocata. 2, ut pecuniam in hanc cauſam, non in alium uſum eſſe verſam probetur *d.l.5. interdum ff. qui pot. in pig. l. 25. ff. de Reb. cred. ibiq; Iaſon. n. 2. verſ. qvod pecunia & verſ. ſecundò reqviritur. Gail. l. 2. obſ. 12. n. 4.* Nam pecunia ſimpliciter credita non gaudet aliqva in concurſu creditorum prærogativa, etiamſi debitor eam ad rei refectionem impenderit. *arg. l. 5. §. 7. ff. de trib. act. Ord. Proc. Elect. Sax. tit. 43.* §. wann auch einer. *verſ.* auch daß es zu dem Ende geſchehen. Probatio autem hæc, pecuniam eſſe impenſam & verſam in refectionem prædii, non adeò difficilis tibi exiſtet. nam ſi per teſtes probare neqveas, per conjecturas ſaltem id demonſtrare poteris, ut ſi doceas, illud ipſum prædium forſan reparatione indiguiſſe & poſtea fuiſſe refectum, qvô caſu refectio & reparatio præſumitur tuâ pecuniâ facta *l. 7. in pr. ff. de exercit. act. Natta conſil. 547. n. 21* hancq; communem eſſe Dd. opinionem teſtantur *Köppen deciſ. 28. n. 35. Berlich. concl. 65. n. 135. Dn. Carpz. p. 1. c. 28. d. 106. n. 5.* Notes tamen demum, hoc laudatum privilegium prælationis ceſſare, tibiq; denegari, ſi prædium, in cujus tutelam & refectionem pecunia fuit collocata, non amplius extet, ſed interierit *arg. d. l. 5. & 6. ff. qui pot. in pig. Zas. in l. creditor. ff. de Reb. cred. Gloſſ. in l. 1. ff. d. ceſſ. bon. Beuth. d. jur. prælat. part. 1. c. 25. fere in fin. Dn. Carpz. p. 1. c. 28. d. 105. n. 3.* qvi cum ſuis rationibus omninò legi poſſunt. Aſt illud ab hoc collocandi modo te non deterreat, eſt enim caſus fortuitus & non ex conſvetudine eveniens *Gothofr. ad l. 78. §. 3. ff. d. contr. empt. vend.* qvem etiam nec diligentiſſimus paterfam. fugere poteſt *l. 11. §. 5. ff. d. minor.* Et licet etiam accidat, pecunia tamen non eſt perdita, ſed uti in §. *præced. 9.* diximus, habes adverſus fundi dominum actionem adhuc perſonalem, qva pecuniam creditam conſeqvi haud impedieris.

§. 11. Ad tertiam ſpeciem noſtra nunc ſe vertit diſſertatio, ubi pecuniam in redemtionem nominum non infeliciter collocari poſſe demonſtrabimus. Et nomina h. e. debita ſive

eorum

Digitized by Google

eorum actiones,tàm in rem,qvàm in perſonam,& ſive ex contractu ſint, ſive ex delicto, ſive puræ,ſive conditionales,regulariter emi vendiq,poſſe,clarè habemus ex *l. 17.& l. 19.ff.de hæred.vel act. vend. l. ult. C. eod. l. 35. §. 4. ff. d.contrah empt. & vend. l. 33. C. d. donat. Ioh. à Sand. Tr. de act. ceſſ. c. 5.* Eâq; emptione & venditione tranſit in emptorem omne jus & emolumentum venditoris h. e. ipsô jure tranſit in eum actio directa nomine venditoris & actio utilis ex ipſo contractu, mediante qva debitum exigere poteſt *l. 6. & 17. ff. de hered. vel act. vend. l. 2. C. d. obl. & act.* & in arbitriô ejus eſt,an velit iſtâ directâ nomine venditoris, an hac utili ſuô nomine uti *l. 7. 8. 9. C. de hered. vel act. vend.* nihilq́; refert an debitor ſciat vel ignoret, nam invitô eô vendi emiq́; poſſunt. *l. 3. C.d.t.l.1.C.d.novat.* Pecunia autem an etiam in ejuſmodi nominum vel actionum redemptionem tutisſimè collocari posſet, ita ut 100. per 50. 60. 70. redimere poſſem, uti §. 1. poſuimus. nonnulli qvidem primô intuitu valde dubitent. Conſtitutio enim Anaſtaſiana *in l. 22. & 23. C. mand.* ejuſmodi redemptionem ferè refutat & prohibet, ita ut redemptor non niſi eam pecuniæ ſummam cum uſuris accipere posſit, qvâ illud nomen redemit, ut ſi 100. per 50. redemerit, tunc non plus qvam 50. cum uſuris ex illo redempto nomine accipere posſit. Qvod de Jur. Sax. etiam receptum habemus,in tantum ut transgreſſores hujus Anaſtaſianæ Conſtitutionis graviori pœna afficiantur, ita ut venditor amisſionis totius ſummæ pœnam & emptor promisſi pretii patiatur. *Edict. Cesſion. de pub. 1. Feb. anno 1614. §.* als erſtlich weil die *redemtores litium &c.* Verùm enim verò rem accuratè inſpecturus qvisq; inveniet, neq; Imperatorem Anaſtaſium, neq; Juſtinianum neq; Sereniſſimum Electorem Sax. ſaluberrima hac Conſtitutione indifferenter omnes prohibuiſſe redemptiones nominum; Ex ipſa enim *d. l. 22. C. mand.* apertò videmus redemptiones ſive cesſiones nominum minori pretio factas, licitas, validasq́; manſiſſe 1. inter Coheredes,ut, debentur defuncto 500. qvi tres reliqvit heredes,tunc duo hæredes minori & modicô pretiô totum nomen tertio cedere vel vendere poſſunt. *d. l. 22.* 2.Inter Collegatarios & Fideicommiſſarios, & exemplum ſimile poteſt fingi,ut in cohæredibus *Cujac. lib. 16. obſ. c. 16. in med. verſ. ſi he-*

ſi heres. 3. inter debitorem & creditorem, e. g. debentur mihi 300. Debitor non habens unde ſolvat, cedit mihi in ſolutum actionem contra ſuum debitorem in 200. qvod omninò valet. *d. l. 22. ibiq; Bart. col. 4. n. 3. Anton. Faber. in Cod. lib 4. tit. mand 26. def. 20 n. 4.* 4. Qvando redemptio fit pro tuitione poſſesſionis rei alienæ. e. g. Dominus qvi pignori fundum obligavit eum vindicat à Mœvio poſſeſſore; Mœvius à creditore redemit actionem perſonalem & hypothecam, qva utatur contra dominum, valet redemptio qvantocunq; pretiô fiat. *d. l. 22. C. mand. Menoch. d. præſumpt. 129. n. 12. Alciat. reſponſ. 124. n. 5.*

§. 12. Et hæ enumeratæ qvatuor ſpecies in *d. l. 22.* ſunt expreſſæ & nominatæ; verùm ſciendum cum DD. communiter, eas non eſſe ſolas, ſed obtinere omninò & valere redemptiones nominum pretiô minori in ſimilibus, qvæ nim. cauſam habent neceſſariam per verb: in *l. 22. nulla enim tali ratione intercedente,* it. per ea *in fin. l. tam pro exceptis qvam aliis (ſimilibus ſc.) cauſis,* uti e. g. eſt inter Socios, qvi omninò commune qvoddam posſident *Menoch. l. 5. præſumt. 129. n. 14. & ſeq. Salicet in l. 22. C. mand.* it. ſi venditor pauper ſit & de exitu cauſæ, ob nimias adverſarii tergiverſationes & litium tœdium, diffidat. *Paul. de Caſtr. in d. l. 22. Menoch. l. 3. præſumt. 130. n. 17. Berlich. deciſ. 33. n. 4.* Valent etiam redemptiones nominũ pro minori pretio, qvando illud nomen non eſt dubium, litigioſum & in judicium adhuc deductum, ita ut fraus exinde non ſit timenda per verb. *d. l. 22 cum certum ſit pro indubitatis obligationibus eos magis &c. & tot. l. 23. C. mandat.* qvippe cum animus ſaltem Impp. fuerit coercere & prohibere fraudulofas redemptiones litium, qvando nim. potentioribus nomina vel actiones rei, vel debitoris laceſſendi, vexandi & ulciſcendi gratia venduntur *d. l. 23.* Certum autem eſt in translatione nominis aut actionis certæ & indubitatæ nec redemptionẽ litis nec vexationem debitoris metuendam eſſe *Dn. Lenz. Tr. de nom. & act. ceſſ. cap. 25. n. 4.* Qvapropter & *Innocent. in c. in civitate ad fin. d. uſur.* rectè ad hanc rem ſcripſit, qvod qvis poſſit emere actionem pro minori pretio, qvam valeat res ipſa, ad qvã competit, qvia emptor periculo ſe exponit nec etiam fœnus illicitum eſſet, ſi minori pretio nomen redimatur, qvia debitor, qvi

 ſolven-

ſolvendo eſt, inops fieri poteſt & deſinere eſſe ſolvendo *Afflict. in c. 1. ſ. ſciend. num. 55. de cognit. feud. & Abbas in cap. 2. num. 6. d. alien. jud. mutand. cauſ. fact.* rectè monet, minus æſtimari debere actionem, qvàm rem, cum eventus executionis ſit incertus *l. 51. ff. de pecul.* nam is etiam, qvi juſtam habet cauſam, propter imprudentiam judicis poteſt ſuccumbere *l. 51. ff. d. evict.* & ideo minus eſt habere actionem, qvàm rem. *l. 204. ff. de Reg. Jur.* Simili modô & videmus, cum qvis tanqvam enormiter læſus tentat reſcindere transactionem, non æſtimari, qvod in judicio poſitum eſt, ſed dubius litis eventus *l. 78. & ibi Gloſſ. & Br. ff. ad SCt. Trebell.* Qvare actio rei, qvæ diſtrahitur, debet æſtimari inſpectô dubiô exactionis eventu, qvippe fatuus eſſet qvi pro actione, qvæ competit ad centum, daret centum. Et ita ex facto reſpondit *Paul. de Caſt. in conſ. 393. col. ult. verſ. circa qvintum lib. 2. & Abb.* etiam concludit *in d. c. 2 n. 6 d. alien. jud. mut. cauſ. fact.* & ſeqvitur *Corn. conſ 263. in cauſa vertente n. 7. ad fin. lib. 3. & Pariſ. in conſil. 64. n. 16. lib. 4. Fr. Mantic. de tacit. & ambig. convent. lib. 4. tit. 13. n. 2. & 16. Cyn. in d. l. 22. C. mand. ſub n. 2.* vid. etiam *Lenz. Tr. de nomin. & act. ceſſ. c. 25. n. 4. & 5.* & Hilliger ad Donell. qvi *lib. 15. comment. c. 43. lit. b.* eleganter in hanc rem verba fecit, *ſi nomina,* inqvit, *vel actiones non ſint ſuſpectæ, ſed ita certæ & exploratæ, ut de iis nulla lis timeri poſſit, valet omninò venditio minori pretio, ideo enim facta eſt, qvia debitori imparato non ſit, unde ſolvat, vel ſi is abſit, aut non planè idoneus, creditor autem præſenti pecunia indigeat, Anaſtaſia enim Conſtitutio in illis debitis ut locum inveniat, ratio & ſententia legis* (ut & ſupra diximus) *maximè deficiunt.* Qvod ipſum etiam approbavit Sereniſſ. Elect. Sax. *in Nova Deciſ. 21. §. 1. verb.* Anders theils nicht zu verneinen, daß ꝛc. niemands ſich finden würde/ ſo vor eine ſolche Schuldforderung/ ſo viel bahr Geld/ als ſie in ſich hielte/ geben wolte/ dannenhero die Gläubigere bey ihren habenden Forderungen wohl gar Noth und Gebruch leiden müſſen/ ꝛc. Et ejuſmodi ergo redemptiones nominum nos etiam intellectas volumus, abſit enim, ut contra ſaluberrimam Conſt. Anaſtaſianam pecuniam collocandam cuinam perſvadeamus.

§. 13. Dum autem diximus modicô & minori pretiô nomen qvoddam redimi poſſe, ſcias pretium illud non adeò modi-

cum

cum & minus eſſe debere, ut læſio ultra dimidium exinde oria-tur, hæc enim ſi commiſſa, redemptio omninò eſt invalida *l. 2. C. d. reſcind. vend. Gl. in l. 22. C. mand. Berlich. deciſ. 33. n. 14. Dn. Richt, deciſ. 36. n. 20. & d. Deciſ. 28. §.* Setzen ordnen. *verb.* jedoch daß ſolches zum wenigſten den halben Theil erreiche ꝛc. qvapropter in §. 1. tale exemplum etiam protulimus, ubi nulla inerat læſio ultra dimidium. Ut autem demùm pecuniam tuam in prædictas redemptiones nominum tutiſſimè habeas collocatam, neceſſe eſt obſerves ſecundùm Reſcriptum Sereniſſimi El. Sax. Ejuſdemq; novam Deciſ. 28. duo hæc notabiliora 1. ut cauſa ſive titulus & qvantitas debiti verbis expreſſis redemptionum inſtrumento in-ſeratur *d. Reſcr. §.* Und über das ſoll in allen und jeden *Ceſſionibus, & d. Deciſ. §.* Setzen ꝛc. *verb.* Derowegen jedesmal ſolche *cauſa de-bendi* 2. Ut judiciàliter coram qvocunq; judice fiat, & redem-ptor ſimul doceat, qvod talem ſummam debiti à cedente exige-re posſit. *Edict. d. §. verb.* ſondern auch der *Ceſſionarius. Deciſ. §. d. verb.* Er ſolches *corã qvocunq; judice* thue ꝛc. Hæc tamẽ reqviſita nõ adeò attendi debent, ſi Coheredes, Legatarii, Fideicommiſſarii, Debitores & Creditores ſibi invicem cedant nomina *d. Deciſ. §.* Von oberzehlter Satzung ꝛc ne tamen his etiam in caſibus ulla ob-tingat læſio ultra dimidium *d. Deciſ. verb.* jedoch daß ſolcher Vor-theil keine *læſionem ultra dimidium* in ſich halte ꝛc.

§. 14. Qvartam in ordine ſpeciem, ubi in diſpunctionem debitorum pecunia collocatur, jam ſuſcipimus. Et ſit diſpunctio nobis hîc idem cum laud. *Dn. Tabore in Coroll. 4. Partit. Element. & aliis Dd. ad l. 56 ff. d. V. Sig.* ac. Exſolutio debitorum. Wenn man anderer Leuten Schulden von ſeinem Gelde bezahlet/und da-durch des Creditoris Recht wider den Debitorem erlanget. Hanc a. diſpunctionem de jure eſſe licitam & conceſſam *arg. l. 13. ff. de neg. geſt. à Dn. Tabore d. l.* adductæ ſatis probari poſſe, puto; vi-dimus n. ex ea lege neceſſitatis opus eſſe, ut debita cujusq; exſol-vantur & expungantur. Accedit & nobis inſuper *Tot. Tit. Codicis* conceptus: *De his, qvi in priorum creditorum locum ſuccedunt*, qvi diſpunctionem receptam eſſe, apertè docet, non n. facilè qvis in priorum creditorum locum ſuccedet, niſi illius debitum expun-gat, idq; exſolvat. Notandum a. diſpunctionem jam nominatã

Digitized by Google

accidere poſſe duplici modô: Vel n. is, qvi expungit & exſolvit alterius debitum, ipſe eſt concreditor iſtius debitoris, vel non eſt, & dicitur h l. extraneus, ſeu tertius qvidā in *l.16.ff.de reb.aut.jud. poſſid* Priori caſu iterum ſubdiſtingvendum erit; illi concreditores ambo ſint hypothecarii, nec ne. Si ambo hypothecarii ſint, apertisſimi juris eſt, qvod e g. poſterior creditor poſſit expungere priorem ſuumconcreditorem, etiam invitum, ita ut ipsô jure h. e ſine expreſsâ conventione jus ſuum adverſus debitorem accipiat, dupliciq; ita modo debitorem ſuum obligatum habeat *l.12. §.6.ff. qvi pot. in ping. vel hypoth. l. ult. C.d. his qvi in prior. cred.loc. ſucced. l. 22. C. d. ping.* Et ſi forſitan creditor ex ſolutionem acceptare recuſet, ſatis eſt expungenti, ſi pecuniam obſignatam deponat, eô ipsô n. ſecurus eſt, &, uti diximus, ſine expreſſa conventione jus concreditoris accipit *d. l. ult. C. qvi in prior. cred.* ut n. ſolutione ejus, qvod debetur, extingvitur obligatio, ita etiã conſignatione, depoſitioneve pecuniæ publicè factâ *Perez. ad Tit. qvi in prior. cred. loc. ſucced. & Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. diſp. 26. th.34.* Si v. ambo hi non ſint hypothecarii, ſed forſitan expuncturus eſt chirographarius & expungendus hypothecarius, tunc obſervandum omninò eſt, qvod hac in parte expungens, uti priori caſu, non accipiat ſine conventione expreſſa jus ſui expuncti concreditoris, ſed neceſſe eſt, ut vel nominatim de hoc inter ſe agant *l. 3. ff. qvæ res ping. & hypoth. dat. obl. non poſſ. l. 12. §. 8. ff. qvi pot. in ping. l. 1. C. d. t.* vel tempore ſolutionis officiô judicis obtineat creditor, ut in locum & jus hypothecarii, cui ſolvit, ſuccedat *l. 11. C. d. fidejuſſ. l. 2 C. qvi in prior. cred. loc. ſucc.*

§. 15. Poſteriori caſu, ubi non concreditor qvidam, ſed extraneus debitum alterius expungere & exſolvere velit, jus planè diverſum introductum habemus. Non n. ejuſmodi extraneus creditorem poteſt compellere (uti priori caſu concreditor poterat) ut oblatũ debitũ accipiat, ſuiq; debitoris jus in ipſũ transferat *l. 5. C. de Solut.* Et licet etiam interdum acceptet exſolutionem creditor, jus tamen ſuum, qvod habet adverſus debitorem in expungentem ſine expreſſa conventione factâq; cesſione actionum judiciali transferre non poteſt. *l. 3. & ult. C. de priv. fiſci. Dn. Carpz. p. 1. c. 28. d. 135. n. 3.* imò ! credat etiam ipſi debitori, ut creditorem

ſuum

Digitized by Google

ſuum exinde exſolvere poſſit, non iſtius creditoris jus accipiet, niſi pecunia verè ad creditorem pervenerit, & expreſsè de ipſius jure pactus fuerit *l. 1. C. qvi in prior. cred. loc. ſucced.* Hæc a. ſi obſervata ſint, expungens maximè ſecurus erit, omniaq; jura creditoris expuncti habebit. Ponamus itaq; caſum, cuidam pecuniam crediderit, ut primum ſuum creditorem exſolvat, jusq; ſuum poſtea, dictis neceſſariis adhibitis, ei tradat, tunc licet ſecundus creditor hôc pactô pecuniam crediderit, ut cum res primo creditori obligata eſſe deſierit, ſibi pignori eſſet, tamen hoc pactô eum non repellet, ſed omninò anterior & potior erit ipsô creditore ſecundo. *l. 12. §. 8 ff. qvi pot. in pign. vid. Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. diſp 36. th. 34.* Et ſic explanatū habemus, qvomdo pecunia in diſpunctionē debitorū collocari poſſit tutisſimè, nec eſt, qvod pluribus commodum exinde promanans probem, vid. *Dn. Carpz. deciſ. 67. n. 7.* ubi ſatis docet, qvod qvisq; magnum emolumentū exinde habere poſſit, imò qvi ſcit, qvantum valeat potiorem eſſe in pignore, facilè mecum in hoc conſentiet.

§. 16. Properandum nunc ad ultimam ſpeciem, ubi nos in emptionem redituum annuorum pecuniam tutisſimè collocari poſſe, poſuimus. Et arbitrati eqvidem ſunt, qvi hunc contractum emptionis redituum eſſe uſurarium & illicitum aſſerunt, uti videre eſt ap. *Gail. lib. 2. obſ. 7. & Dn. Carpz. p. 3. c. 24. d. 12.* Verùm re accuratè inſpectâ, omninò ſe res ita non habet. Adeſt n. ibi pretium ex parte emptoris & merx ſive annui reditus ex parte venditoris, qvæ ſunt legitimæ emptionis, venditionis ſubſtantialia *l. 8. C. d. contr. empt. & vend. §. 1. & 2 Inſt. eod.* Ac licet ex perceptione redituum qvotannis ſorti aliqvid accedere videatùr iis, qvod uſuram nominare velint, nihil tamen promovent, cùm neqvaqvam ſorti aliqvid accedat, qvippe in contractu emptionis venditionis nihil qvicqvā acceſſionis loco venit, ſed qvòd ultrò citròq; datur, rei principalis locum intrat, ſiqvidem hîc pretium in pecunia, merx v. in reditibus, uti dixi, verſatur. Proinde qvod annuatim ex ipſo contractu emptionis percipitur, non eſt fructus pecuniæ, neq; acceſſio aliqva ad ſortem, ſed ipſa ſors, ſive merx vendita, jus nempe redituum, qvi annuatim percipiuntur, prout eleganter hoc demonſtrant *Gail. d. l. & Dn. Carpz.*, digni Viri, qvi de hac

 qvæſtio

qvæſtione legantur prolixius. Atq; hic ipſe contractus de Jure quoq; Canon. Conſtitutionibus Impp, approbatus legitur. *cap. 1. & 2 de empt. & vend. Extravag.* ubi Panormit. *in. 7. & 8. & Canoniſtæ X. d. uſur. Receſſ. Imp. de anno 1548. ſub Tit:* Von wucherlichen *Contracten.* §. Und nach dem die Wiederkauffs Gülden. & *Ord. Polit. Francof. de anno 1577.* §. Und nach dem die Wiederkauffs Gülden *vid. And. Tiraqvel. de Retract.* §. *1. gloſſ. 6. n. 15. Covarr. lib. 3, var. reſol. cap. 7. H. Piſt. obſ 6; Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. diſp. 27. th. 57.*

§. 17. Uti a. hæc emptio redituum eſt licitisſima & moribus receptisſima, ita etiam eſt utilisſima & tutisſima. Tutisſima & utilisſima ſanè eſt, qvia pecuniam collocatam ſalvam maximè ſecuramq; hic habet creditor, nec eã facilè defraudari poteſt, qvin potius qvotannis utilisſimũ exinde uſũ habet conceſſũ, ita ut ſi ipſi annui reditus non exſolvantur, intereſſe ex iis peti posſit, prout videre eſt ap. *Dn. Carpz. lib. 4. R. 54. n. 12.* & in *Pract. Crim. p. 2. q. 92. n. 86.* Hos ipſos reditus jam, qvi emuntur, qvod attinet, certè ſi realiter, ut Dd. loqvi amant, conſtituantur, ita, ut certum prædiũ vel alia res certa denominetur & demonſtretur, ex qva exſolvi debeant, maximè ſecurus vivit emptor, prædium n. illud ei tacitè eſt hypothecatum *H. Piſtor. obſ. 69. n. 1. Berlich. p. 1. concl. 67. n. 95.* perinde ut tributa, collectæ & decimæ, qvæ prædio illi inhærent & in fructibus annuatim redeuntibus conſtant *Dn. Carpz. lib. 5 R. 98. n. 8. & ſeqq.* qvaptopter & immobilius accenſentur *Tiraqv. de Retr.* §. *1. gloſſ. 6. n. 5.* & in concurſu creditorũ ut onera realia magnâ cum prærogativa in For. Sax. Elect. petuntur. *Ord. Proceſſ. jud. tit. 42.* §. Ferner ſoll das jenige, *verb.* Item jährliche Zinſen von widerkauffliche Hauptſummen und dergleichen *Onera realia.* Illud v. neminem deterreat, qvod ex natura annuorũ redituum facultas repetendæ ſortis ſoli venditori, non v. emptori competat, hoc enim procedit ſaltem in eo caſu, cum venditor ſine mora hos annuos reditus præſtat & exſolvit, unde emptor etiam non habet, cur ſortem repetere vellet, accipit n. omninò, qvod ei acceptũ eſt gratisſimum. Si a. venditor in præſtandis his reditibus moram committat, ecce! benè emptori permiſſum eſt ejuſmodi conventionem adjicere, ut ſi debitô tempore reditus non ſolvantur, ſed mora committatur, venditor pretium ſeu ſortem reſtituere debeat

Digitized by Google

beat *Receſſ. Imp. Spirenſ. de anno 1600.* §. Ferner iſt biß anhero. *verb.* Setzen/ ordnen und wollen / daß ſolcher *Contract*, dem im Heiligen Reich üblichen und zugelaſſenen Gebrauche nicht ungemäß/ und daß das *pretium* auff den Fall von dem Verkäuffer *per viam executionis* und *mandati ex illo pacto* wieder gefordert werden möge/ *vid. Bernh. Grav. l. 2. pract. concl. 7. conſid. 1. n. 11.* Imò etiamſi expreſſum pactum non adjectum, tamen ob moram in ſolutione redituum commiſſam, emptor repetere poteſt à venditore pretium *Dn. Carpz. d. l. d. 18. & l. 1. deciſ. 9.*

§. 18. Tenendũ demum hîc etiam erit, hanc emptionẽ fieri debere juſtô & conſtitutô pretiô, ita ut pretio centum florenorum reſpondeant annui reditus qvinq; florenorum, ſecund. *Reformat. Polit. de anno 1577. tit. 17. §.* und nachdem die Wiederkauffs Gülden *verb.* So ſollen mit 100. fl. Haubtgeldes nicht mehr den 5. Jährlicher Gülden/ wie gebräuchlich/ gekauffet werden. *Hart. Piſtor. obſ. 66. n. 5. Rauchb p. 1. qv. 19. n. 6* Si tamen ultra hanc qvantitatem, puta 6. pro cento fuerint vel dati vel promiſſi, non qvidem totus emptionis contractus corruit tanqvàm uſurarius, ſed illud ſolummodo, qvod juſtam penſionem excedit, rejicitur. Non enim utile per inutile vitiari debet *l. 5. §. 2. ff. d. donat. inr. vir. & uxor. Vid. Ord. Polit. Auguſt. de anno 1548. tit.* von wucherlichen Contracten. §. und nachdem die wieder-kauffs-Gelder *verb.* und was darüber gegeben/ genom̃en oder gehandelt/ wollen wir/ daß daſſelbige für wucherlich und unkräfftig geachtet/ gehalten und erkennet werden ſoll/ qvæ verba tantùm reſpiciunt id, qvod ultra qvinq; perſolvitur, tacitèq; innuunt qvoad qvinq; ejusmodi contractum conſiſtere, ut rectè inde colligit *Hart. Piſtor. obſ. 64. & Carpz. p. 3 c. 24. d. 14. n. 3. & ſeqq.* Illud autem qvod ultra qvincunces ſolutum fuerit, an ſorti imputetur, an verò futuris penſionibus detrahatur videri poteſt *Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. d. 27. th. 49. Dn. Rich. dec. 74. n. 11. & 13. & Dn. Carpz. p. 3. c. 24. d. 15.* Minimè autem huic emptioni etiam adjicienda ſunt ejusmodi pacta, qvæ pravitatem uſurariam arguunt, & ipſi naturæ & qvalitati annuorum redituum ſunt contraria, prout docet, variaq; horum pactorum genera monſtrat *Dn. Carpz. lib. 1. R. 107. n. 10. 11. & ſeqq.*

§. 19.

Digitized by Google

§.19. Nunc etiam de illa collocatione pecuniæ, qvæ fit in Cambium & ipſam Mutui dationem diſſerendum eſſet. Verùm ex certis rationibus verba mea de his non erunt hîc admodum prolixa. In Cambium eqvidem mercatores ubivis terrarum pecuniam ſæpenumero collocare vidimus, qvi ipſi in hoc collocandi modo ſe tutiſſimos qvosq; eſſe autumant ac gloriantur; ſingularia enim qvaſi privilegia habet cambium, ut ſcil. ex illo non poſſit opponi exceptio non numeratæ pecuniæ *Stypman. de jur. marit. & naut. p. 4. c. 8. n. 112. Dn. Carpz. l. 2. Reſp. 92.* item exceptio ordinis *Stypm. d. l. & Riccius deciſ. Neapolit. 55. n. 118.* Et qvod accedit ſecund. *Reſcript. Elect. Sax. de anno 1621. & 1660.* in Foro Elect. Sax. præprimis hîc Lipſiæ ita eis, qvi in illud pecuniam collocant, eſt conſultum & proſpectum, ut debitorem ad obedientiam (in Gehorſam zu bleiben) & carcerem convenire poſſint, donec ſolvat. Imò ipſum debitum in concurſu creditorum eſt privilegiatum *Stypm. d. l. n. ult.* Verùm his omnibus conceſſis, Germanorum tamen manet verô veriſſimum, qvod & experientia hoc in caſu corroborat: daß ſo lange der Mann gut iſt / ſo lange ſey die Wechſelſchuld auch gut. Licet enim, uti dixi, in concurſu creditorum privilegiô prælationis gaudeat hoc debitum attamē iſtud tum demùm obtinet, qvando pecunia in cambiū collocata adhuc extat *Dn. Carpz. p. 3. deciſ. 280. n. 8.* qvàm raro vel nunqvam verò mercatorum obæratorum facultatibus nummi extantes reperiuntur? *Dn Carpz. d. l. n. 12.* Qvod ſi verò pecunia non extet, privilegio ſaltem gaudet perſonali, ita ut nudis chirographariis præferatur *Carpz. d. c. n. 14. & 15.* Qvô caſu ergò, an pecunia tutiſſimè ſit collocata judicio Practicorum, qvi in hoc verſati, relinqvo. Qvantum ego qvidem percipere poſſum, certo certius eſt, ſi jure aliqvo reali, puta Areſto, ſe qvis non præmuniverit, illum rariſſimē pecuniam ita collocatam recipere, qvin potiùs in ejusmodi claſſem in concurſu collocetur, ubi ſpes exſolutionis ferè omnis exolebit. Qvapropter Cambium, ut tutiſſimum modum collocandi pecuniam unicuiq; indiſtinctè minimè recommendamus, habeat enim etiam qvisq; ſemper ante oculos Sacratiſſimi noſtri Imp. effatum, qvod reperire licet *in §. 3. Inſt. q. & ex qvibus cauſ. manum. licet vel non.* Qvod ſæpè

de-

Digitized by Google

de facultatibus ſuis amplius qvàm in his eſt, ſperent homines.
De mutuo autem tanqvàm modo collocandi pecuniam uſitatisſimo & ſuô modô etiam ſatis tuto, ut parum vel nihil hîc dicamus, exinde nos excuſatos fore putamus, qvia ea, qvæ huc faciunt plurimum, jam jam monita dedimus in Capite Secundo, ubi Subjectum collocandi pecuniam nimis amplè conſideravimus. Hoc enim ſi collocaturus obſervet in mutuo, magna ex parte erit ſecurus; Et inſuper ne minimum deficiat, ea qvi reſtant, in Capite jã ſeqventi ultimo demonſtranda promittimus. Sit ergo.

CAPUT QVARTUM.

Qvod docet ea,

Qvæ circa modum obligandi, in collocanda pecunia qvisq; habeat notanda.

POſtqvam hactenus vidimus Subjectum & Objectum pecuniæ collocandæ. Ad ipſam etiam obligationem, qvæ ex laudata collocatione fluit, eſt deveniendum. Ac multùm ſanè intereſt, ut benè hæc ipſa attendatur, qvippe qvæ juxta *l. 42. ff. d. Procurat.* eſt & ſalutatur cauſa ac mater actionum, qvâ illud, qvod nobis debetur, perſeqvi poſſumus *§. 1. Inſt. de Act.* Eqvidem illi, qui pecuniam collocant, pro noſtris in cap. *3.* expoſitis collocandi ſpeciebus diverſis, diverſimodè etiam ſibi faciunt obligatos eos, cum qvibus in hac collocanda pecunia contrahunt; Qvod qvia ex *d. cap 3.* & præcedenti etiam 2. videri poteſt, ne crambem bis coctam apponere videamur, minimè repetimus; Sed generalia qvdæam ad modum obligandi facientia hîc adducturi ſumus. Qvod ut fiat ſvademus ac conſulimus, ut qvisq; collocaturus prætter obligationem principalem (qvam pro diverſitate cauſæ diverſam eſſe oſtendimus.) majoris aſſecurationis ergo ſe ita procuret, qvò ei propter elocatam pecuniam etiã conſtituantur pignora, hypothecæ, fidejuſſores & qvod hodie fieri ſolet ſæpisſimè, imò tutisſimè ſuper hanc conſtitutionem Inſtrumentum qvoddam conficiendum curet. qvod ſanè ad ſecuritatem multum juvabit, omniq; collocandi profuturum erit, prout hæc omnia etiam jam occuratius monſtrabimus.

Digitized by Google

§. 2. Dum autem pignora & hypothecas conſtituendas conſulimus, certè nos errorem erraſſe non putamus. Collocans enim exinde maximè ſecurus fit *§. 4. Inſt. qvibus mod. re. contr. obl.* cum expediat pignori potius incumbere, qvàm in perſonam agere *§. 14. Inſt. d. obl. qvæ ex delict. naſ.* & plus cautionis in re ſit, qvàm in perſonâ *l. 25. ff. d. Reg. Jur. l. 1. §. 1. verb. & qvia melius eſt ff. de Superficieb.* Prout etiam Martialis eleganter his verſiculis oſtendit, lib. 12. epigram.

Cum rogo te numos ſine pignore, non habeo inqvis:
  Idem ſi pro me ſpondet agellus habes.
Qvod mihi non credis veteri, Theleſine, ſodali
  Credis colliculis arboribusq; meis.

Qvid verò velimus, dum pignoribus & hypothecis proſpiciendum eſſe monuimus, qvilibet facilè videbit. Licet enim pignus & hypotheca tantùm nominis ſonu differant *l. 5. §. 1. ff. de pig. & hypoth.* & pignus generaliter ſumptum, ipſam etiam comprehendat hypothecam *l. 1. ff. d. pig. act.* & hypotheca dicatur pignus *l. 17. §. 2. ff. d. pact. l. 5. §. 1. ff. d. pig. & hypoth. l. 3. §. 3. ff. ad exhibend.* nihilq; etiam interſit, qvantum actionem hypothecariam attinet *§. 2. jnſt. d. act.* Magna tamen adhuc eſt differentia inter pignus & hypothecam: Pignus enim fit rei traditione, hypotheca verò pacto ſaltem conſtituitur *l. 9. §. 2. ff. d. pig. act. vid. Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. exerc. 26. th. 2.* 2. pignus conſiſtit propriè in re mobili, hypotheca autem in re immobili *§. 7. Inſt. d act. l. 238. ff. d. V. S.* itaq; ſi e. g. à te 100. mutuò accipiã & obligem calicem argenteum, ac ſimul tibi eum tradam, ut retineas, donec debitum ſolvam, propriè pignus dicitur. Si v. propter hoc debitum fundum meum tibi obligo & nihilominus ipſe illum poſſideo & fructus inde percipio, hypotheca dicitur. Et è re erit, ut hîc qvilibet notet, ſi hac ratione hypothecam in rebus immobilibus ſibi velit conſtituere, qvod hæc ipſa conſtitutio de Jur. Sax. non aliter valeat, qvam ſi Judicis ſeu Magiſtratûs ordinarii autoritate muniatur & corroboretur, per expreſſ. *Conſt. 23. & Landr. lib. 2. art 8. vid. & Rauchb. p. 1. q. 6. n. 14. Coler. de proc. exec. p. 1. c. 10. n. 194. Zobel. part. 2. diff. 28. n. 12. Dn. Carpz. p. 2. c. 23. d. 1. n. 2. & ſeqq.* qvi id latius explanant.

§. 3.

Digitized by Google

§. 3. Et licet a. per *d. con. 23.* hypotheca bonorum immobilium extrajudicialiter etiam coram duobus vel tribus teſtibus, pactô vel transactione ſigillis conſignatâ conſtitui poſſit, eaq; valeat; non tn. talem habet uſum, qvalem hypotheca judicialis, ſed in concurſu creditorum ſolummodo nudis chirographariis præfertur, uti videre eſt ex *d.c.23.§.* Wenn auch ein Gläubiger ꝛc. *& §. ſeq.* Es ſoll aber. *Ord. Proc. Jud. tit. 46. §.* Da auch ein Gläubiger, *Dn. Carpz. p.2. c.23. d.14. n.2. & ſeqq.* itaq; ſvaſor ſum, ut qvilibet hypothecam judicialem potius conſtituendam curet, qvam extrajudicialem. Qvod ſi v. ad certum tempus conſtitutam hypothecam habet, tunc omninò ei vigilandum, ne finitô illô tempore, ejuſmodi judicialis conſenſus expiret: id n. fieri poſſe tradit *Dec. El. 31.* niſi fortè conſenſus iſte ad reluitionem directus fuerit, aut creditor actionem moverit, & dum lis peragitur, tempus labatur. *d. Deciſ. §.* Wenn aber der *Conſens.* Tenendum etiam circa hanc oppignorationem judicialem, qvod illa expresſis verbis à debitore petatur, & diſertis poſtea etiã à judice confirmetur, nam licet aliàs e.g. inſtrumentum obligationis, cui annexa eſt oppigneratio hujus vel illius fundi his verbis: Dafür dem Gläubiger das Gut zum kräfftigen Unterpfande hafften ſoll: judicialiter confirmetur, eô ipsô tamen oppignoratio confirmata & valida non cenſetur *vid. Dn. Carpz. lib.4. tit.4. R.29.* Inſuper & benè inqvirendum, an ille etiam, qvi in ſecuritatem pignus velit conſtituere, ſit iſtius dominus; & ſi res præprimis eſt immobilis, an de Jur. Sax. etiam de illa ſit inveſtitus, daß er daſſelbige in Lehn und Würden hab; res n. ſi aliter ſe habet, oppigneratio eſt invalida *Dn. Carp. dec. 127.*

§. 4. Pignus a. in ſpecie ſic dictum, qvod fit, uti diximus, traditione & conſiſtit in re mobili, absq; judicis conſenſu tibi conſtitui poteſt *per d.c.23.§.* Fahrnüs und bewegliche Güter ꝛc. Lubet a. circa hanc conſtitutionem monere & conſulere, ut collocaturus præter hanc conſtitutionem curet etiam, qvò hypothecas & pignora habeat, cum pacto Antichretico & Commiſſorio, eôq; adhuc licito. Et primum nim. Antichreticum qvod ſpectat, illud licitũ deprehendimus *in l.14. l.17. C. d. uſur. l.33. ff. de pig. act.* idq; conſiſtit in eo, ut licentiam præſtet collocanti uti acceptô pignore loco pecuniæ creditæ *l.11. §.1. ff. de pig.* fieri a. poteſt vel expreſſe *l.17. C. d.*

 uſur.

uſur.l.1.§.3.ff.d.pig. vel tacitè *l.8.ff.in qvibus cauſ.pig.* ubi nim.pecunia gratuitò datur, & res, qvæ fructus fert, pignori tradita eſt, qvô hôc ipsô conventum cenſeatur, ut fructus loco uſurarum legitimarum & compenſationis cujuſdam liceat retinere juxta *d.l.8.* qvam ita accipiunt *Jac. Cujac.lib.8.obſ.17. Ant.Fab.d.error.pragm. decad.9.error.5.* Expreſsè a. qvo per expreſſam conventionẽ creditor vel collocans ex fundo vel agro oppignorato invicẽ uſurarum fruges percipiat *l.11.§.1.ff.d.pig.& hypoth.* qvô caſu circa perceptionem fructuum maximè dubii ſunt Dd, an nim. hæc conventio non niſi ad legitimum uſurarum modum valeat, & id qvod excedit, ſorti imputandum ſit, an v. modicus exceſſus exinde tolerari poſſit. Nos cum *Rauchb.p.1.q.20.n.38. Ant.Neguzant.in Tr. d.pig.part.5.memb.5.n.13. Dn.Struv.Synt.J.Civ.exerc.19.th.52.* ſtatuimus & affirmamus modicum exceſſum omninò hîc admitti & tolerari poſſe propter text.expreſſ.in *l.14.C.d.uſur.* nec non propter incertum fructuum proventum & pretii eorundem inconſtantiã ac mutabilitatem *l.17.l.23.C.d.uſur.* ob qvam incertitudinẽ multa ſuſtinentur, qvæ alias non ſubſiſterent, prout in emptione jactûs retis, aut aucupii demõſtrat JCtus *in l.12.in fin.cum ſeq.ff.d.act.empt*

§. 5. Alterum qvod attinet, diximus eſſe Comiſſorium legitimum; & non abs re definimus legitimum, minimè n. nos intelligimus illud Comiſſorium, qvod jure veteri ſecund. *l.1.C.d.pact. pig.* vigebat, ubi creditor & debitor ita conveniebant, ut, ſi tempore deſtinatô debitũ nõ ſolveretur, res oppignorata pro qvantitate debita plenô jure acqvireretur, *vid.Mæſter.d.leg.commiſſ.q.2. n.1.* Illud, inqvam, Commiſſorium, qvia ab Imp. Conſtantino in *l.ult.C.d.pact.pig.* propter ſum̃am iniqvitatem, qvàm continebat, eſt correctum, imò noviſſ. ſanctione Imperii *in R. J. de an.1577. ſub Ord.Polit.tit.10.§.* Und dieweil man &c. ſeverè prohibitum, non conſulimus, ſed illud, qvod hîc putamus, relictũ eſt in *l.16.§.ult.ff. d.pig.* qvô ita hodie convenire poſſumus, ut pecuniâ deſtinatô tempore nõ ſoluta, res pignorata empta eſſe debeat, juſtô ſc. pretiô conſtitutô vel tunc boni Viri arbitrio conſtituendo; In qvo ſanè nulla eſt iniqvitas, cùm neuter contrahentium lædatur, pactumq; illud cadat in emptionem conditionalem & juſtum pretium relinqvatur arbitrio boni viri, aut referatur ad communem,

qvæ

Digitized by Google

qvæ tunc erit æſtimationem: qvô factô, id qvod debitô ſolutô ſupereſt, debitori pignoratitiâ agenti, reſtituendũ erit, qvod in priori jam abrogato non intelligitur. *Salicet. ad l. 3. C. d. pact. pig.* & *Dn. Struv. Syn. Jur. Civ. Ex. 19. th 53* & *Ex. 26. th. 8.* Qvæ duo pacta ergo, qvia feliciter in mutuo præprimis practicari poſſunt, unicuiqve in conſtitutione pignorum adjicienda recommendamus.

§. 6. Nunc etiam monemus, unumqvemq; eò anniti debere, ut hanc oppignerationẽ bonorum habeat cum pacto executivo & clauſula conſtituti poſſeſſorii. Pactum a. executivum qvodnam ita vocemus, videri poteſt apud *Coler. in Proc. executiv. p. 1. c. 5. n. 1.* uti nim. ita conveniunt, qovd in caſu comiſſæ moræ, creditor vel collocans habeat licentiam, proceſſum ab executione inchoare & propriâ autoritate occupare bona debitoris oppignerata. *Bart. Salicet. Albertus de Roſate, Bal.* & *alij Dd. ad l. creditores 3. C. d. pig.* Qvod pactum magnam ſanè utilitatem unicuiq; tribuit. Licet n. aliàs Proceſſus nullô modô ab executione inchoandus ſit *l. 1. & 2. C. d. execut. rei jud. l. 9. C. d. obl. & act. l. un. C. d. prohib. ſeqveſt. pecun.* qvod per hoc pactum omninò fieri conceditur. Deinde qvi alienam poſſesſionem propriâ autoritate ingreditur, vim privatam committit *l. 5. C. ad L. Jul. d. vi pub. vel priv.* & tàm civiliter ad reſtitutionem conveniri, qvam etiam criminaliter puta L. Jul. de vi privat. puniri poteſt *l. 4. & l. 6. C. unde vi,* qvod hôc ipsô pactô etiam permittitur. Multi eqvidem Dd. contrariæ ſe ſubſcribunt ſententiæ, dicentes neqvaqvam aliqvem vi laudati pacti propriâ autoritate poſſesſionem accipere poſſe, eorum a. argumenta refutavit *Coler. d. p. 1. c. 3. n. 31.* Qvã ſententiã qvidem de rigore juris, ut verisſimam amplectimur, ſecund. *l. expreſſ. 3. C. d. pig. & l. 11. C. d. pig. act.*; Urbanitatem a. vel civilitatem ſi ſpectemus, magis omninò amicum eſſe putamus cum *Dn. Carpz. p. 1. c. 32. d. 27. & lib. 1. R. S.* ſi pro majori ſecuritate & cautela, ad hanc adqviſitianem & ingresſionem bonorum adhibeamus conſenſum & autoritatem Judicis. Securiores n. creditores fiunt, qvod metu miniſterialiũ judicis adverſa pars ſibi temperet ab injuriis, rixis & ſcandalis *Salic. in d. l. 3. C. d. pig. Math. d. Afflict. in Conſtit. Neapol. lib. 1. d cultu pacis. rub. 8. n. 22*; vitari etiam facilè poteſt armorum & fuſionis ſangvinis periculum, qvod ſæpisſimè accidere poteſt, ſi forſitan debitorem

 inve-

invenerit reſiſtentem. Qvid autem Clauſula conſtituti poſſeſſorii operetur, inter alios eleganter exponit *Tiraqvell. part. 1. d. conſt. poſſ. ſſ. n. 54.* nim. cum aliàs per *Auth. Hoc ſi debitor. C. d. pig.* excuſſio bonorum debitoris reqviratur ante, qvàm creditor agere poſſit contra tertium poſſeſſorem, tamen ſi hac ratione ipſe debitor conſtituerit ſe bona ſua poſſidere pro creditore, & qvædam ex eis poſtea alteri vendiderit & tradiderit, poterit creditor nullâ bonorum debitoris diſcusſione factâ, tanqvam ſuâ poſſesſione privatus, rectà agere contra tertium, ad revocandam ſuam illam poſſesſionem, qvam ipſe ex hujuſmodi conſtituto obtinebat per condictionem ex *l. ult. C. d. acqvir. poſſ.* Ulteriorem etiam qvàm habeat uſum, oſtendit *Coler. proceſſ. execut. p. 1. c. 5. n. 114. & ſeqq.*

§. 7. Fidejuſſores præter obligationem principalem in collocanda pecunia aſſumendos ſuprà tradidimus. Id ipſum, non inconſultum dictum à nobis eſſe Glorioſiſſ. noſter Imp. Juſtinianus apertè teſtatur *in pr. Inſt. de fidejuſſ.* qvando dicit: homines eos hunc in finem accipere ſolere, ut diligentius eis cautum ſit & *in §. f. Inſt. d. replicat.* qvi fidejuſſores ſibi obligant, maximè ſibi proſpiciunt, ut, cum facultatibus lapſus fuerit debitor, poſſint à fidejuſſoribus, qvos pro eo obligarunt, ſuum conſeqvi. Qvando autem in §. 2. hujus capitis *ex §. 14. Inſt. d. obl. qvæ ex delict. naſc.* & ex aliis juris locis diximus, melius eſſe pignori incumbere, qvam in perſonam agere, minimè repugnantia ſtatuimus, ita ut fidejuſſor tanqvam perſona hîc majoris ſecuritatis ergô non admitti poſſit. In hanc rem enim benè & accuratè reſpondet *Fab ad pr. Inſt. de fidejuſſ.* inqviens: plenam ſecuritatem & cautionem eſſe cum fidejuſſoribus, pleniorem cum pignoribus; Et ſufficiat plenam nobis tribuere ſecuritatem fidejuſſores, plenam enim ſi habeamus, omninò & ſufficientē habemus. Hi autem laudati fidejuſſores de jure veteri ſtatim ante principalem debitorem conveneri poterant *l. 2. 3. 5. & 23. C. de fidejuſſ.* qvod hodiè jure noviſſimô per *Nov. 4. c. 1. & Auth. Præſent. C. de fidej.* correctum eſt, ubi acceperunt beneficium, uti Dd. nominant, ordinis vel excusſionis, qvô prius debitor principalis eſt conveniendus & excutiendus. Licet autem hoc ſit; ſcias, dictô beneficiô ſemper ſe tueri nō poſſe fidejuſſores, ceſſat enim

1. qvan-

1. qvando tempore ſolutioni deſtinatô, principalis debitor abſens vivit, prout ex ipsâ *d. Auth.* patet. 2. qvando notoriè conſtat de inopia principalis, eum non eſſe ſolvendo *Jaſ. in §. 6. Inſt. d. Act. Gloſ. ad l. 116. ff. d. V. O.* 3. qvando notorium eſt, principalem eſſe Tyrannum, vel magnum & potentem dominum, qvia uti §. *1. cap. 2.* monuimus, aliqvis idoneus debitor dicitur, non tantum ex facultatibus, ſed etiam facilitate cõveniendi *l. 112. in fin. & ibi Jaſon. ff. d. Verb. Obl.* & 4. ceſſat, ſi huic ipſi beneficio renunciaverit *l. 77. §. 16. ff. d. leg. 1. N. 136. c. 1.* de qva ſtatim pluribus.

§. 8. Gaudent etiam hodie fidejuſſores beneficiis diviſionis & cedendarum actionum. Et diviſionis privilegium qvidem non habet locum inter debitorem principalem & fidejuſſorem *l. 27. in fin. ff. de fidejuſſ.* Sed inter plures confidejuſſores, qvi pro uno debitore & pro una eademq; ſumma fidejuſſerunt, qvo in caſu ſecund. *§. 4. Inſt d. fidejuſſ.* qvilibet horum qvidem in ſolidũ obligatur, ita ut etiã creditor qvem velit, ex his in ſolidum convenire poſſit; at Divus Hadrianus eis ſuccurrit, cõcedens in epiſtola aliqva, qvam qvidem integram in Jure non habemus; ſæpiùs tamen lex de ea mentionem facit, beneficium hoc diviſionis, ex qvo is, qvi de pluribus fidejuſſoribus ſolus convenitur, petere poſſit, ut creditor actionem dividat & à qvolibet fidejuſſore partem contingentem petat vid. §. *4. I. de fidej. l. 26. 27. 28. & 51. ff. eod.* Tertium autem privilegium ſcilicet cedẽdarum actionum eis datum eſt, ut ex his ceſſis actionibus poſſint agere contra confidejuſſores ſuos, illudq; repetere, qvod amplius ſuâ parte, non allegatô beneficiô diviſionis, ſolvit *l. 17. l. 36. & l. 39. ff. de fidej. l. 11. C eod.* it. etiam contra ipſum debitorem principalem, cujus nomine exſolvit creditorem. Licet ergò triplici modô fidejuſſores, uti oſtenſum, privilegiati in jure reperiantur, his tamẽ omnibus non obſtantibus eosdem majoris ſecuritatis ergò aſſumendos ſvademus. Nàm uti §. præced. jam diximus ceſſare privilegium ordinis, ſi ei renuncietur, ita ſcias in omnibus fieri poſſe. Qvilibet itaq; collocator cautè curet, qvô ſemper his nominatis beneficiis renuncient, eò qvòd, qvisqvis favori pro ſe renunciare poſſit *l. 29. C. d. pact.* Et hoc ii fecerit, ſtatim, ſi lubet & conducit, fidejuſſorem ante principalem debitorem, etſi plures adhibuerit, unum in ſolidum convenire poteſt.

§. 9.

§. 9. Hæc autem renuntiatio qvomodo fieri debeat, an ſufficiat generaliter, an ſpecialiter facta ſatis apertè unumqvemq; informat *Conſt. Aug.* 17. adqvam videri poſſunt *Berlich. & Dn. Carpz.* omnem rem benè illuſtrantes. Qvid etiam de fœminareceptum, ſi fidejubere velit, conſulendam recommendamus *Conſt. Aug.* 16. *& Dd. jam. allegatos Dn. Berlich. & Carpz.* Hoc ſaltē monemus, ut qvilibet fidejuſſores ſibi conſtituendos curet indefinitè h.e. ut tamdiu ipſi ſint obligati, qvamdiu debitor principalis non ſolvit: hoc enim factô ſcimus *ex Conſt.* 29. eos manere obligatos; etſi ſolutionis prorogatio debitori conceſſa fuerit à creditore; ſecus autem, ſi definitè ad certum tempus ſit, conſtituti, ubi ex *d. Conſt.* 19. ſi creditor intra tres menſes à tempore ſolutionis deſtinatæ, eos non interpellaverit, vel illi ipſi fidejuſſores in prorogationem non conſenſerint, liberantur ab obligatione & creditor eos minimè convenire poteſt *vid. Dn. Carpz. p. 2. c. 29. d. 6. & 7.*

§. 10. Ultimum nunc adponimus, ubi totum colloeandi modum [qvem in præced. cap. 3. oſtendimus diverſum] cum adjectâ conſtitutione pignorum & fidejuſſorum in inſtrumentum qvoddam redigendum conſulimus. Et ſcimus eqvidem Inſtrumentũ vel Scripturam primariô pertinere ad contractum literarium, ita ut ſubſtantiã ex hoc ipſo capiat, uti docet *Tot. Tit. Inſt. d. lit. ob.* nec nos etiam latet emptionem prædiorũ, annuorum redituum, redemptionis nominũ & alios modos, qvos recenſuimus, it. conſtitutionem pignorum & fidejuſſorum bene conſiſtere & valere poſſe, licet nulla adveniat ſcriptura. Verùm qvicqvid ſit, cum ex *l. 4. ff. de pig. l. 4. ff. d. fid. inſtr. l. 5. C. d. transact. l. 10. C. ſi cert. pet.* habeamus, qvod multùm ad faciliorem probationem & rerum geſtarũ veritatem faciat, hoc conſilium omninò non erit nullum, qvippe cum & multa etiã negotia, qvæ ſine ſcripturâ conſiſtere poſſunt, in ſcripturam relata habeamus in Jure noſtro, videatur *l. 3. C. d. cond. indeb. ibi: cum ex ſoluta indebiti &c.* Communis enim eſt probatio teſtibus & indiciis cum inſtrumentis *l. fin. C. d. prob. l. 5. C. de transact. ibi, ſcriptura qva rei geſt. veritatem contineri ſolet.* & tamdiu ſtatur inſtrumento, donec contrarium probetur *l. 18. C. d. prob. l. 5. ubi Gloſſ. C. ſi qvis alteri vel ſibi ſub. alt. nom.* re[...] lictus etiam contractus in inſtrumento in dubio verus, non ſimulatus præſum[...]tur. *Gail. l. 2. ob. 71. n. 2.* inde qvi contractum ex non ſcripto voluerit facere, mani[...]ſtum eſt, qvod aut per teſtes aut per juramentũ percipiat fidem, loqvitur clarè *Aut. ſed nov. C. ſi. cert. pet.* Accedit & nobis, qvòd ex Inſtrumento eoq; gvarentigiatô nẽpe, [...] qvo de debito apparet, qvid qvale, qvãtumve ſit *Arg. l. 6. ibiq; Br. & Dd. ff. ſi cert. pet.* ſi illi recognitum fuerit, ſtatim executio decernatur *Dn. Carpz. Proceſſ. jud. tit. 2. a. 3 n. 13.* M[...]nemus autem ne his ipſis laudatis inſtrumentis clauſulæ inſerantur inſolitæ & nim[...] multæ, qvippe qvæ inſtrumenta reddunt ſuſpecta de fraude & ſimulatione ſecund. [...] notabilem in *l. 7 ff. d. cond. inſt.*

§. 11. Qvale a. inſtrumentũ in qvavis pecuniæ elocandæ ſpecie, it. in conſtituti[...] pignorum & fidejuſſorum confici poſſit ac debeat, eleganter monſtrat *Jac. Bornit. d. In[...] & Doc. literariis lib 2. c 32. 33. 34. & ſeqq.* Qvotuplex etiã inſuper ſit, & qvomodo pro[...] *vid. Schneid. ad Proem. Inſt. n. 1. & 2.* E re qvidẽ eſſet, ut nos ipſi hæc omnia adducamus, [...]um qvia aliàs præter intentionem & morẽ hic receptum labor noſter excrevit & valuit, B. L. ad citatos Dd. remittens pedem nunc figo. Si ergò aliqvid humani, à [...] me non alienũ putaverim (ut cum Chremete Terentiano loqvar) in Diſſertatione mea paſſus fuerim, veniam à B. L. oro, qvam & exorare nullus dubito, præprimis ſi [...] liſper, qvæ ſit materiæ hujus per univerſam Jurisprudentiam longè diffuſæ amplitu[...] gravitas, præponderet, pariterq; meminerit: omnium habere memoriam & in n[...] penitus peccare Divinitatis magis eſſe qvàm Mortalitatis *l. 2 §. 3. C. de vet. jur. enucl. & Conſtit. Tanta. de Conf. Digeſt.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google